

18
A
D
E
H

Ja
De

Ja

184
Ba
De
H
mu
Na

Rio
Sch
We
18
V
G

1800.

Leipzig. Diss. per 1800-1802.

Aster A. F. De similitudine investiturae litteris iure Saxónico...Diemer H. A. Ch. L. Ad historiam rationum juris discendi docendaeque symbolae. I.Gottschalk H. A. De legato rei alicuius.Hansen K. L. Utrum possessionum summarium et ordinarium in iure sequendae et vendendae conuersionis obtineant.Palmer J. C. Famosi belli utrum in ciuitate ferendi sint.Petschke ^{Aug.} H. A. De immunitate praediorum in Saxonia a tributis per praescriptionem immemorabilem adipiscenda.Pintner H. H. Quo possessiones principum ac comitum dynastiarum a Schoenberg in Saxonia Electorali potius utuntur.

1801.

Baumgarten-Crusius G. L. Th. Iuris prudentia in interpretando Novo Testamento. luc.Demuth F. H. W. De litteris patentibus contra debitorem cambialem...Lyttich K. L. L. De iuris dictionis feudalis in terris Sax. Elect. conditione...Anders A. Th. De XIV. Justiniani adiectis spec. I.Kauverke F. A. De administratore iurisdictionis patrimonialis munere sua iudicio causa haud privando.Richter H. K. De re militaria veterum Germanorum conuersione... II.Schneider J. F. A. Delictae quaedam de corpore delicti capita.Weiß Ch. B. De causis et praescriptione querelae nullitatis contra sententiam...

1802

Diemer H. A. Ch. L. Iuris consultus perfectus.Gottschalk Ch. A. De sponsionibus sponsalium sive vom Fawort.

1804, 6.8

DE
VI MILITIAE
VETERVM GERMANORVM
HERIBANNARIAE
IN IVRE GERMANICO PRIVATO CONSPICVA
EXERCITATIO SECVNDA

73

SCRIPTA
ET
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO SVMMIS
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
A. D. III. FEBRVAR. A. R. S. MDCCC.I.
AD DISPVTVNDVM PROPOSVIT
STEPHANVS CAROLVS RICHTERVS
LIPSIENSIS
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE
IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.

DE
VI MILITIAE
VETERVM GERMANICORVM
HERIDIANARVM

IN IVRE GERMANICO PRIVATO CONSPICVA
EXERCITATIO SECUNDA

ACCEPIT

RECTOR LITTEARVM ORDINIS AUCTORITATE

PRO AVMPT

IN VTRIOQUE IVRE HONORABILIS

DIETZ OSTERMANN

AD HOC OFFICIVM A. N. 1800

AD DESERVANDVM PROMOTVS

STEFANVS CAROLVS NICHTELVVS

1800

HAEC LITTEARVM

LITTEARVM

UNIVERSITATIS CAROLOVVS CAUCOVVS



DE
VI MILITIAE
VETERVM GERMANORVM
HERIBANNARIAE
IN
IVRE GERMANICO PRIVATO CONSPICVA

PRAEFATIO.

Animum meum ante binos abhinc annos cum ad scribendum academicum libellum appulissem vimque militiae veterum Germanorum, quam heribannariam vocant, in effingendis iuribus eorum priuatis conspicuam describere constituissem, hunc ordinem seruaturus eram, vt primum ipsas militiae leges enarrare, deinde vero, quid illa virtutis in efformandis commutandisque hominum iuribus exseruerit, ostendere conarer. Quoniam

A

autem tunc mihi priorem tantum huius argumenti partem absoluerere licuit, iam, hac noua scribendi opportunitate oblata, si materiam, tum coeptam continuarem, id, quod res ipsa postulet, aliisque forte haud ingratum sit, me facturum existimaui.

Priusquam autem illud ipsum adgrediar, paucis verbis instituti mei rationes exponam. Scilicet non deerunt forte, qui nos saepius in hoc libello de rebus publicis veterum Germanorum, ac de priuatis iuribus inde enatis efformatisque, locutos esse mirentur, nosque, quod non ea sola iura huc retulissemus, quae per ipsam militiae disciplinam essent efficta, a scopo nostro aberrasse et promissis minus satisfecisse iudicent. Qui nos minus vituperandos putabunt, si cogitauerint, olim, vt inter omnes fere populos antiquos, sic inter Germanos quoque reipublicae atque militiae iura arctissime fuisse coniuncta et ipsas ciuitates ab initio haud dubie vel bellorum aliis inferendorum vel hostium a patriis finibus arcendorum causa constitutas fuisse. Hinc rerumpublicarum ratio militaris erat et regimen ciuitatis, leges, iudicia iuraque singulorum hominum suam indolem ex militia capiebant. Germani vero, prout vel perpetuis bellis agitabantur, vel longiori pace gaudebant, in rebus domesticis et bellicis diuersas sequebantur rationes. Vnde, quamuis inter omnes Ger-

maniae populos id moris erat, vt omnes ac singuli ciues, armis dum erant idonei, militarent: tamen, quod iam olim obseruauimus, ^{a)} in iuribus et institutis gentium Germanicarum, et publicis, et priuatis, haud leue discrimen reperiatur. Aliae enim, quae remotae et secretae debebant ab iis regionibus, vbi tunc fere continua bella gerebantur, fixis domiciliis vsae, paci et agriculturae studebant. ^{b)} Hi neque milites, neque duces perpetuos habebant, sed singulis bellis a populo decretis duces eligebant, nullo tamen imperio munitos; ^{c)} suprema potestas penes populum erat, et suae quisque domus princeps et moderator; iura sibi ipsi per pacta inter ciues inita condebant, ^{d)} non a regibus constituta accipiebant; familiae et propinquitates, vt in acie turmas et cuneos, ^{e)} sic in ciuitate singulas societates constituebant arcte coniunctas, quae pro-

A 2

^{a)} V. Dils. nostrae *de vi militiae herib. etc.* Exercit. I. p. 7 fs. et I. Moeseri *Osnabr. Gesch.* tom. I. Sect. I. §. 6.

^{b)} Nonnullas Germaniae gentes agriculturae valde studuisse patet maxime ex Caesare *de B. G.* lib. IV. c. 1. *Vsipetes Germani et item Tenchteri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt; — causa transeundi fuit, quod a Sueuis complures annos exagitati bello premebantur*

et agricultura prohibebantur. V. quoque Tacitum *de mor. Germ.* cap. 16.

^{c)} Tac. I. c. cap. 7.

^{d)} Hinc eadem vox, quae pactum et matrimonium significat, legum quoque nomen est, *Ewa* scilicet, seu *Épha* et *Ehe*; quam interpretes legis Salicae antiquioris, per *pactum* latino sermone expresserunt. v. I. G. Eccardi *comm. ad leg. Sal. ant.* in Canziani legibus Barbarorum. tom. II. p. 85. nota 8.

^{e)} Tac. I. c. c. 7.

prio Marte iniurias sociis illatas vindicare et defendere; iura reddere et omnia communiter agere consueuerant: Praecipue vero huic populorum generi eos adscribendos esse puto, qui Hercyniis montibus, Albi Rhenoque fluminibus interpositi, vel aliis montibus, fluuiis paludibusque circumdati, ab hostibus defendebantur, vti Chauci, *f*) Saxones, Frisiones, Angli, Verini, Reudingi, alique, *in quibus fluminibus aut siluis munitis*, Tacitus, *quidquam notabile esse*, negat, *g*) quippe nec bellicis, nec politicis artibus claris; neque minus iisdem plures populos Francorum foedere comprehensos adnumerandos esse putauerim. *h*) Partim enim accepimus, hasce gentes liberas olim respublicas habuisse, nullis regibus Ducibusue subiectas; *i*) partim, quia

f) Quos quidem Tac. l. l. c. 35. memorat, *quietos secretosque nulla prouocare bella*, nullis latrociniiis populari et magnitudinem suam iustitia tueri malle; *prompta tamen omnibus arma et si res poscat exercitum etc.* Cf. Conrad Mannert *Geographie der Griechen u. Römer*. tom. III. p. 306.

g) Tac. c. l. c. 40.

h) Non solum enim leges Saliorum et Ripuariorum mirum, quantum similitudinem habent cum caeteris legibus gentium septentrionalium, sed ipse Gregorius Turon. quoque lib. I. Annal. c. 9. apud Duchesne tom. I. Scr. R. G. p. 277. ex antiquis scriptoribus tradit, Fran-

cos olim reges habuisse nullos, sed Duces modo, belli tempore militibus praefectos.

i) V. quae collegit et notauit Io. Nic. Hertius in *notitia veteris Germ. populorum*. Gies. 1709. 4. p. 111. 123. 134. Haud quidem negari potest interdum inter hasce gentes quoque reges inueniri, sed aut seriori demum aeuo occurrunt, velut inter Frisiones, aut a populo creabantur et in tutela eius constituti erant nec vero proprio et perpetuo iure ciuitates regebant; quod de regibus Anglosaxonum probant *Iudicia ciuitatis Londinensis in Dau. Wilkii legib. Anglosax.* Lugd. 1721. p. 21. *Regis*

bellis et hostibus minus vexabantur, perpetuo milite et duce haud aequae egebant, atque ii, qui sempiternis bellis erant implicati.

Alii quidem populi, Sueui, ^{k)} Marcomanni, Quadi, ^{l)} Langobardi, ^{m)} Chatti, ⁿ⁾ caeterique medias et meridionales Germaniae partes incolentes, cum perpetuis hostium adgressionibus turbarentur, hinc gentibus Germanicae stirpis vrgentibus, illinc legionibus Romanorum obstantibus, et militia fortiori et republica firmitus composita opus habebant: quare, ne bellorum studia negligenter, agriculturam contemnebant: vtebantur regibus vel ducibus bellorum, qui vitae necisque potestate pollerent, nec raro proprio, ac velut hereditario iure regnarent, licet in pace haud prorsus infinita iis esset potestas: quotannis populi pars bellandi causa educe-

aestimatio capitis est apud Anglos iuxta ius gentium XXX mille Thrymsarum; XV mille thrymsae sint pro ipsius capitis aestimatione et XV mille pro regni; aestimatio capitis competit cognatis et compensatio regia populo. Inter reliquos populos, Alamannos, Baiuvarios, atque, sub regibus quidem, inter Francos, Ducum aut regum nulla erat compositio, sed perduelles et rei criminis laesae maiestatis vel capite puniebantur, vel ex arbitrio Ducum Regumve de iis agebatur. Lex Saxon. tit. III §. 1. L. Alam. tit. XXIV. L. Baiuvar. tit. II. cap. 1 et 2.

^{k)} Caesar. de B. G. lib. IV. c. 1.

^{l)} Tac. c. I. c. 42. Moeser c. I. p. 8. Mannert c. I. p. 143 fs.

^{m)} Tac. c. I. c. 40.

ⁿ⁾ Tac. c. I. c. 30. *Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, et maior animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiae, praepone re electos, audire praepositos — quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in duce, quam in exercitu etc.* Mannert c. I. p. 234.

batur, caeteri vero, qui domi remanserant, se atque illos alebant. o)

Inde vero diuersa ciuium iura nasci debuisse, quis est, quin videat? Nam illis gentibus, quia domi forisque omnium securitas non a principe vel a magistratibus sperabatur, sed a singulorum ciuium virtute et defensione pendebat, imprimis hoc curae esse debuit, vt ne opibus viribusque singularum familiarum exhaustis homines indefensi manerent; hinc, ne militibus deessent, quibus se in pace et bello sustentarent ac tuerentur, bona familiarum continere et seruare, vt qui maxime, studebant; quicumque semet ipsi defendere haud poterant, eos perpetuae tutelae subiiciebant; caeterum omnes plenissima libertate fruebantur et pleraque iura seruabant, quibus et extra societatem homines vsos deprehendimus. Reliqui vero populi bellicosi, siue regibus subiecti, cum partem publicae potestatis magistratibus commisissent, plusque interdum in duce, quam in exercitu reponerent; p) neque ciuibz tantum auctoritatis et honoris tribuebant, quantum illi, neque seruandis familiarum societatibus tantam curam impendebant, neque, cum po-

o) Caesar c. 1. lib. IV. cap. 1. 25. 26. Hertius c. 1. et Mannert lib. VI. cap. 21 fs. Tac. c. 1. c. 7. c. 1. initio tom. III.

p) Tac. c. 1. cap. 30.

pulus omnis milites aleret, de continendis ciuium opibus valde laborabant. Mores autem earum gentium procul dubio maxima ex parte seruarunt Alamanni, Baiuuarii, Longobardi et alii, qui postea vel has sedes obtinuerunt, vel inde profecti peregrinas terras occuparunt; 7) eodem modo, quo populi septemtrionem versus habitantes, Saxones, Angli, Verini atque Frisiones, priscas consuetudines, diligenter collectas legibusque suis, etsi sub regibus demum conscriptis, comprehensas, in obliuionem venire haud passi sunt. Quare licet regno Francorum condito et per omnes fere nationes Germanicas extenso, rerum omnium facies vehementer immutaretur; regibus et optimatibus mox infinita prope potestas nasceretur; ciues, suis iuribus priuati, contemnerentur et opprimerentur; familiarum denique societates dissoluerentur, ac paullatim iurium priuatorum noua prope indoles enasceretur: tamen legibus populorum vtrorumque diligentius collatis, maxima iurium tam publicorum, quam priuatorum facile apparet diuersitas, quae quidem tam altas egit radices, vt vel ad nostrum usque aeuum distinctio inter terras iuris Saxonici atque Franconici seu Sueuici seruata sit. 7)

7) v. Hertium c. l. p. 94. 130.
167. L. Baiuu. tit. II. c. 20.

7) v. Aur. Bullam c. V. Pfeffingeri Vittr. illustr. tom. III. p. 595.
Moeser. c. l. p. 10.

At vero cum in animo nobis non sit, omnia ac singula Germanorum iura perscrutari, vel iustum aliquod eorum systema condere, quod neque rationi huius libelli, neque virium nostrarum imbecillitati conuenire videtur, id tantum agendum esse putauimus, vt, quantum per temporis huiusque loci breue spatium licuerit, ex antiquis monumentis ea maiorum nostrorum iura collecta proponamus, ad quae efformanda militia plurimum valuisse videatur, in iisque singulis describendis temporum morumque vicissitudines obseruemus. In qua quidem re, propter inopiam, vel obscuritatem veterum monumentorum satis difficili, si forte eruditis viris studium meum minus probauero, cogitent quaeso, me non inflatum vana aliqua superbia ad hoc opus aduolasse, sed ne timidus laborem subterfugisse viderer, rem semel coeptam continuare voluisse, hac quidem spe fretum, fore, vt, sicubi a vero aberrauerim, meliora me edoceant, sin quaedam aliis minus obseruata protulerim et rectius exposuerim, ea aequi bonique consulant.

SECTIO SECVNDA.

DE

VI MILITIAE HERIBANNARIAE IN IVRE GERMANICO
PRIVATO CONSPICVA.

§. 1.

*De ciuium ordinibus per militiam heribannariam vel
constitutis vel immutatis.*

Quod in omnibus fere populis, ex singulis familiarum societatibus recens demum collectis, euenisse videmus, vt antiquam disciplinam hominumque et iurium aequalitatem, quantum fieri posset, sibi seruarent, id apud Germanos quoque olim factum esse suspicari licet. Et enim cum primum haud dubie ea mente in ciuitates coirent, vt ab incursionibus et populationibus hostium se suasque res coniunctis omnium viribus melius defenderent; quicumque eadem gente natus armis ferendis par erat, in societatem huius foederis veniebat, iisdemque,

B

quibus caeteri, iuribus in decernendis bellis et delibendis publicis negotiis utebatur, nec fieri potuit, ut reliquos vnus praecelleret, nisi quem ipsa ciuitas praecipua dignatione ornasset. Nihilo vero secius relatum legimus, ab antiquissimis inde temporibus Germanos diuersis ordinibus fuisse distinctos. Erant enim nobiles, primas in republica partes tenentes; erant ingenui, illis quidem paullo inferiores, at liberi tamen, et ciuitatis, et militiae iuribus haud minus atque nobiles fungentes; erant denique liberti atque serui, quorum raro momentum aliquod in domo, numquam in ciuitate esset. Cum autem nec huius loci, nec instituti nostri ratio copiose nos de omnibus ordinum iuribus disserere patiatur, nemo putarim hoc nobis vitio vertet, quod omissis iis, quae doctiores olim de hisce rebus exposuerunt, in eo praecipue laboremus, ut, quam vim militia in illis, quos diximus, hominum ordinibus efformandis commutandisque exseruerit, indagemus et inuestigemus.

Constat autem, inter plerosque Germanos primum locum obtinuisse Nobiles, seu, quos Saxones vocabant, *Athalingos*. Ex nobilibus enim reges creatos esse legimus; ^{a)} iidem, quippe viri principes, in administran-

^{a)} Tac. c. l. cap. 7. Quem quidem morem, cum maxime gentibus attribuendum esse crediderim, qui perpetuis regibus utebantur, ac plerumque ex vna tantum familia nobili reges sibi creare solebant, velut Quadi, Marcomanni, Baiuarii alique; tamen aliquo modo omnium

dis rebus publicis praecipua auctoritate pollentes, res minoris momenti per se soli decernebant et ipsa graviora quoque negotia, priusquam in concilio vniuersi populi ad deliberandum proponebantur, inter se tractabant; ^{b)} post introductas autem criminum certas multas seu, quas dicunt, compositiones et constitutas hunc in finem singulorum hominum aestimationes, siquis nobilem interfecisset, aut iniuria aliqua affecisset, ei longe maior mulcta, quam aliorum delictorum reis, legibus erat proposita. ^{c)} Neque haec aestimatio singulis tantum hominibus, dum viuerent, propter munus aliquod forte tribuebatur, sed quicumque nobilibus ex parentibus erant procreati, iisdem honoribus gaudebant, ipsaeque feminae nobiles maioris pretii habebantur, quam reliquae, quamuis ingenuis parentibus prognatae. ^{d)} Quin inter Saxones, ut relatum accepimus, ^{e)} tanta fuit nobilium dignitas, ut ingenui

B 2

Germanorum communem fuisse puto, ita, ut siquos reges habere vellent, eos ex nobilibus crearent, magis velut huic muneri idoneis. Ideo Gregorius Tur. etiam Francos, cum reges expeterent, *de prima et (ut ita dicam) nobiliori suorum familia eosdem creauisse* narravit. Annal. lib. II. c. 9. apud Du Chesne tom. I. p. 277.

^{b)} Tac. G. c. 11.

^{c)} Lex Frision. tit. I. et Epilog. legis. Lex Anglor. et Verin. tit. I.

II. III. IV. X. Lex Saxon. tit. II. §. 1. Capitul. Saxon. cap. 3 et 5. Capitulatio de part. Sax. c. 15. 20. 21.

^{d)} Lex Frision. tit. IX. §. 1. Lex Anglor. et Verinor. tit. X. §. 3.

^{e)} Adamus Brem. lib. I. c. 5. ex edit. I. I. Maderi. Helmst. 1670. p. 3. Quatuor igitur differentis gens illa consistit, nobilium scilicet et libertorum libertorumque atque seruorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in

caeterique homines, ex inferioribus populi classibus orti, qui nobiles vxores duxissent, capitali poena afficerentur. Hunc generis eximium splendorem, etsi non certo constat, quaenam causae nobilibus compa-
rauerint, id tamen per militiam inprimis factum esse, non est, quod dubitemus. Neque enim solum rerum publicarum, praecipue belli gerendi causa instituta-
rum, ratio id postulabat, vt militum ducibus iisque, qui bellica virtute inclaruissent, eminentior locus in ciuitate assignaretur; sed Germanorum quoque belli-
cosum ingenium, quod fortes viros summo honore dignos semper iudicauit. Itaque illi insignem gloriam nacti deque ciuitatibus bene meriti, maxima gaude-
bant aestimatione, consiliis et auctoritate ciuium ani- mos quocunque vellent facile flectebant, res publicas gubernabant, nec raro defuncti liberis quoque prae-
cipuam dignationem relinquebant. f) Nobilitatis autem

*copulandis coniugiis propriae sortis ter-
minos transferat, sed nobilis nobilem
ducat vxorem et liber liberam, libertus
coniungatur libertae et seruus ancillae.
Si vero quispiam (horum sibi non con-
gruentem et genere praestantiorum) du-
xerit vxorem cum vitae suae damno com-
ponat. Cfr. Legis Saxon. tit. XVIII.
et capitulat. de part. Saxon. §. 20.
vbi multa in eos statuta est, qui
matrimonia prohibita et illicita inierint,
quem locum Car. Guil. Gaetnerus
in notis ad h. l. ap. Canziani tom.*

III. p. 60 et 68, illum Saxonum morem ab Adamo relatum spectare putat.

f) Tac. c. I. c. 13. *Insignis nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentulis assignant.* v. I. F. Runde or. de vera nobilitatis notione. Goett. 1793. pag. 13 ls. Hanc nobilitatis originem forte et ipsum *Athalingorum* nomen suadet, quod a voce antiqua *Athal*, eximius, vel a voce *Aeth* s. *Eich*, genus equidem deriuandum esse puto,

et acquirendae, et augendae ansam iuuenibus inprimis praebuisse videtur comitatum militia, cuius antiquior et crebrior vsus iis maxime populis erat, qui paci et agriculturae studebant ideoque difficilius nec sine magnis incommodis heribannariam militiam congregare poterant; quanto vero melius duces, milites, quae comitatum, armis se totos consecrantes, de ciuibus suis merebant, tanto maiori honore procul dubio habebantur digni et, quasi sanctiores reliquis hominibus, ab iniuriis tuti praestabantur. Idcirco etiam, quo minus quisquam eos occidere aut violare auderet, maioribus compositionibus muniebantur: neque liberis eorum, quippe virtutum atque studiorum paternorum heredibus et nobiliori velut sanguine procreatis, haec patrum aestimatio adimebatur, donec, moribus antiquitate firmatis, hereditario iure nobilitas a patribus liberis tradi coepisset. Nouimus quoque prae reliquis nobiles adolescentes in comitatibus fulsisse atque si ciuitas, vnde orti essent, longa pace torperet, vltro petiisse eas nationes, quae tunc bellum aliquod gererent. §) Hinc ex iisdem, indies noua virtutum docu-

non autem a voce *Od* possessio. vide Chr. Lud. Scheidt *v. hohen u. niedern Adel*. Hanou. 1754. p. 10. nota l. Hachenberg *Germania media* p. 20. Adelung, Wachter et Halt- aus in gloss. s. v. Edel.

§) Tac. c. l. c. 14. Nobiles praecipue comitatus amplos habuisse probare quoque videtur lex Sax. tit. XVII. cui cfr. Gaertnerum ad h. l. et leg. Sax. tit. II. §. 1. ap. Canz. tom. III. p. 41.

menta edentibus, plerumque et caeteri militum duces, quos ex sola virtute Germani sumere solebant, ^{h)} procul dubio eligebantur; quorum muneribus saepe a patribus ad filios translatis, haud parum incrementi familiis nobilium non poterat non ad crescere. ⁱ⁾ Denique meritis illis plerumque accedebant opes lautiores, ^{k)} et auctoritas in administrandis ciuitatibus per comitum et ambactorum copias viresque comparata, quibus dignitatem nobilitatemque a populo tributam et augerent et seruarent.

Neque tamen, si diligentius vetera monumenta perscrutamur, inter omnes Germaniae gentes antiquas nobilium ordines conspiciamus, sed tantum in iis populis, quos supra paci et agriculturae studuisse monuimus. Hinc inter Frisiones, ^{l)} Anglos, Verinos, ^{m)} Saxonesque ⁿ⁾ et inter colonias Anglorum et Saxonum, nauibus in Britanniam transuectas, ^{o)} inuenimus no-

^{h)} Tac. c. 1. cap. 7.

ⁱ⁾ Moeser. c. 1. Sect. I. §. 26.

^{k)} Id quidem, ni fallor, inde patet, quod in delicta a nobilibus commissa grauiores multae statutae erant, quam in delicta caeterorum hominum. V. e. g. Lex Fris. tit. III. Capit. de part. Sax. c. 19. 20. 21. Capit. Saxonum §. 3.

^{l)} Lex Frision, tit. I. et Epilog. legis.

^{m)} L. Angl. et Ver. tit. I. II. III. IV. X.

ⁿ⁾ Lex Saxon, tit. II. §. 1. Capit. Saxon. c. 3 et 5. Capitulatio de partibus Sax. cap. 15. 20. 21. Adam. Brem. l. c. Nithardi historia Francor. lib. IV. apud Schilter. in Script. rer. Germ. p. 105. Moeser. c. 1. tom. I. p. 46. 86. 246.

^{o)} Leges Hlotharii et Eadrici Regum ap. Wilkins c. 1. p. 6 ls.

biles; in legibus autem reliquorum in Germania populorum, Baiuuariorum, Alamannorum, Francorum, Marcomannorum Quadorumque nullos nobilium ordines videmus, ^{p)} sed singulas tantum familias, ex quibus reges aut duces sumebantur, generis splendore et honoribus eximiis fulgentes. ^{q)} Cuius quidem diversitatis inter mores Germanorum si causas quaesiveris, equidem eas etiam ex militia repetendas esse puto. Etenim cum inter gentes bellicosas illas, qua-

^{p)} Inter Baiuuarios quidem reperiuntur praeter Agilolfingos quinque familiae nobiles, quae proximae post illos dicuntur; tamen ordinem inferioris nobilitatis aliquem haud constituebant adeoque potius Mannerti sententiam amplector, fuisse reges aut duces gentium, quae postquam cum Baiuuariis foederibus essent coniunctae et in vnum quasi populum conflatae, tamen familiis dum praecipuum honorem seruarent. v. leg. Baiuuar. tit. II. c. 20. et Konr. Mannert *Freiheit d. Franken. Adel. Sklaverey.* Norimb. et Altorf. 1799. p. 7.

^{q)} Tales erant in Baiuuariis, Agilolfingi. L. Baiuu. c. 1. ac Decret. Thassilonis, c. I. §. 6. 9. Inter Marcomannos Quadosque Tudri et Marobodui gens. Tac. de mor. G. c. 42. neque minus Cherusci ex una Arminii prole reges voluerunt. Tac. Annal. XI. 16. ac inter Alamannos quoque Ducatum proprio iure in vna familia mansisse leges

eorum probare videntur tit. XXXV. Francorum reges licet solenni ritu inaugurari solerent et a populo confirmarentur, tamen semper ex gente Merovingica sumebantur, penes quam fere hereditario iure regnum erat constitutum. v. Agathiae Schol. de reb. Iustin. lib. II. apud Du Chesne tom. I. p. 741. Gregor. Tur. V. 21. ibid. p. 539. Gesta Dagoberti regis c. 14. et c. 46. ib. p. 576 et 587. quod de regibus quoque ex stirpe Carolina natis valuisse probat Capitul. Caroli Calui tit. XXX. c. 1. ap. Steph. Baluz. in Capitul. reg. Francor. tom. II. p. 133. *Quia sicut dicit sanctus Gregorius et ex consuetudine olitana (i. e. antiqua) cognoscitur in Francorum regno reges ex genere prodeunt, mihi a Domino genitore etc.* — Cfr. de hac omni re Mannert. c. I. K. G. Anton *Gesch. der deutschen Nation*, tom. I. p. 113 ss. M. I. Schmidt *Gesch. der Deutschen*. lib. I. cap. 5.

les Sueuos fuisse comperimus, perpetuo pars populi in armis et in militia versaretur, minus erat, quo singuli viri virtute et bellicis artibus de ciuitatibus ita mereri tantosque honores sibi parare possent, quantos liberi populi iis ex ciuibus attribuebant, qui, reliquis domi manentibus agrosque colentibus, fines patrios ab hostium incursionibus defendebant; neque apud bellicosas gentes aequae in usu erant comitatus, quibus apud reliquas adolescentes nobiles quotidie laudes et honores suos cumulabant. Hinc illae forte numquam nobilium ordines habuerunt. Etsi vero inter Alamannos, Baiuuarios, Francos caeterosque aliquando nobiles fuerint, quod de Francis quidem, quia caeterum consuetudines eorum cum moribus gentium liberarum, vt, quae maxime, congruunt, haud nega- verim; tamen perpetuis regibus ducibusue creatis, qui vel proprio iure regnorum fasces tenerent, ac deperdita ciuium militumque heribannariorum pristina auctoritate, in bellis decernendis et administrandis rebus publicis olim conspicua, non potuere non nobilium quoque honores, quippe per leges, a liberis populis institutas, antea muniti, non vero principum placitis attributi, paullatim obsolescere, quia non solum regum haud intererat, eorum ordines seruari, sed, cum ex nobilium auctoritate facile regum dignitati periculum

creari posset, ab iis opprimendi potius, quam sustinendi videbantur. Atque sic factum esse puto, vt ex legibus Francorum aliorumque mentio nobilium excideret, r) in eorum locum autem vasalli, ministri, amici, quin famuli regum ducumue succederent. Nam vti de temporibus antiquissimis Tacito auctore accepimus, inter gentes, quae regnarentur, libertos regum gratia et fauore saepe super ingenuos ipsosque nobiles adscendisse, s) ita seriori quoque aeuo in populis regnatis et inter Francos praesertim, ii, quos reges amicitia sua, vel muneribus ornauerant, eminentiores obtinuerunt honores: t) indeque passim in monumen-

r) Cfr. Moeser c. l. tom. I. p. 213 et de Gourcy über Freyheit u. Leibeigenschaft, über d. Adel etc. anter d. Merovingern u. Carolingern; übersetzt v. G. H. Oesterley. Goet. 1788. p. 240. licet hic multa alia sentiat.

s) Tac. c. l. c. 25.

t) Multis veterum legum constitutionibus haec eximia dignitas hominum, qui in clientela et ministerio regum erant, potest probari. Lege Sal. ant. tit. XLIV. §. 1. ingenuus occisus CC sol. componitur, is autem, qui in truste regia est, DC. sol. eodemque pretio Grauiones interfecti componuntur. (ib. tit. XLIV. §. 2. tit. LVII. §. 1.) Ita quoque crimen raptus in libera femina commissum XXX. sol., in fe-

mina vero, quae in truste dominica est, LXII. sol. punitur. Cfr. etiam tit. XXIX. Lege Alamannor. tit. XXX. Missus Ducis tripliciter componitur et eodem rigore coercentur delicta erga mulieres commissa, quae in ministerio Ducum sunt. (tit. XXXIII.) Capitulari Saxonum adeo capitalis poena in eos erat statuta, qui Comitum interfecissent, (§. 30.) caetera vero delicta in missis regis commissa triplici multa coercerantur (Cap. Sax. §. 7.) Lege Ripuar. tit. XI. Homines, qui sunt in truste regia DC. sol. componuntur et reliqua delicta triplici compositione soluuntur. Cfr. porro L. Ripuar. tit. LIII. Leg. Saxon. tit. XVIII. Concilium Bavaric. de ao. 772. ap. Canz. tom. II. p. 395. §. 7.

tis antiquis occurrunt nomina procerum, u) optimatum, v) aut maiorum, vel primorum natu, w) et potentium; x) rarius autem nobilium nomen reperitur. Optimates autem, quantum equidem noui, nullum ordinem constituebant certum, vti nobiles reliquarum gentium, qui propter solam natiuitatem compositione maiori gaudebant, nec, qui parentibus natus erat proceribus, propterea et ipse eadem hac maiorum dignatione fruebatur. Immo vero propter munera, quibus fungerentur, vel propter aulicos honores et beneficia a regibus ipsis tributa, optimates maiori quidem, quam reliqui ciues compositione honorati erant, atque diuitiis et auctoritate praecellebant ingenuos omnes: praeterea vero solos procerum natales velut nobiliores compositionem maiorem tribuisse, in legibus Francorum legere haud memini, licet negare non ausim, patrum diuitias atque auctoritatem filiis quoque maiores plerumque honores et eminentiorem dignitatem attribuisse. y) Paullatim vero proceres in

u) Gregor. Tur. lib. IV. c. 6. ap. Du Chesne t. I. p. 309. Aimoinus de gest. Franc. lib. I. ibid. t. III. p. 11.

Du Chesne tom. I. p. 404. Idem V. 33. ib. p. 342.

v) Decretio Childeberti regis in prologo. ap. Canz. tom. II. p. 115.

x) Edict. Chloth. R. de 20. 615. c. 19 et 20. ap. Bal. I. p. 24.

w) Gregor. Tur. VIII. 30. ap.

y) Inde nonnumquam liberi nobilium s. procerum memorantur. Aimoin. c. I. ap. Du Chesne t. III.

regno Francico ad tantum potestatis et auctoritatis fastigium sunt elati, vt rempublicam fere omnem pro lubitu regerent, pröpe regibus ipsis superiores. Non solum enim mox soli in comitiis aderant, quae populus vniuersus olim habuerat, ipsique cum regibus ibi iura condebant, leges ferebant aliaque omnia pro populo agere consueuerant; ²⁾ sed vero etiam praecipua quaeque munera, ac militaria praesertim, soli capescebant iisque ad opes suas augendas et vires corroborandas quam maxime vtebantur. ^{a)} In qua quidem re praecipue regum liberalitate et immutata militiae disciplina adiuti videntur. Cum enim heribannarii milites, nisi bellum ipsi decreuissent, ad signa con-

C 2

p. 10. Capit. Caroli III. tit. 1. ap. legis Salicae reform. ap. Canz. II. Bal. II. 293. Monach. San Gallensis lib. I. c. 3. ap. Du Chesne II. p. 108. — *Vos nobiles, vos primorum filii — in natales vestros et possessiones confisi etc.* p. 121. Gesta Dagoberti R. c. 14. 40. 46. ap. Du Chesne I. p. 576. 584. 587. et al. Cfr. Mannert *Adel etc.* p. 195. 179.

²⁾ Edict. Chlotharii R. II. c. 24. ap. Bal. I. p. 24. *Quicumque vero hanc deliberationem, quam cum pontificibus vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus nostris in synodali concilio institutus etc.* Prolog. Capit. I. Karolomanni Princ. ap. Bal. I. p. 145. Capit. Suessionense Pippini princ. ap. Baluz. I. p. 155. Conuentus apud Andelaum ib. p. 11. Decret. Childeb. R. in prologo cit. Prol.

^{a)} Vita S. Rictrudis ap. Du Chesne I. p. 654. Fredegarii *chron.* c. 27. ib. pag. 747. Theganus *de gestis Ludou. Pii* c. 20. ib. tom. II. p. 279. Eginhardi *vita Caroli M.* ib. tom. I. p. 747. Capit. Caroli M. de ao. 802. c. I. ap. Bal. I. p. 363. Marculfi *form. lib. I.* 3. ap. Canz. II. p. 191. Fragm. Pauli Warnefridi ap. Du Chesne tom. II. p. 204.

vocari nequirent, ^{b)} atque, conuocati tandem non sine magna molestia, plerumque plus damni et detrimenti sociis, quam hostibus inferrent; ^{c)} reges vt nouas sibi pararent copias, quae non rogatae, sed iussae militiam facerent; beneficiarias legiones instituere earumque et numerum et vires indies augere coeperunt. ^{d)} Inde milites beneficiarii, bellicis artibus melius imbuti et armis vestibusque splendidioribus ornati, quam heribannarii milites, qui, si quando congregati essent, pauperes et inconditi, vix armis instructi, contemptui erant atque despectui, paullatim ita sunt elati, vt ciuibus exspoliatis et oppressis, ipsaque regum dignitate vehementer imminuta, tandem postquam munera militiae heribannariae, Ducum, Comitum et reliqua proprio iure retinere coepissent, principum et nobilium superiorum ordines conderent. ^{*)}

Reliqui homines inter omnes Germaniae gentes olim in liberos atque seruos describi solebant. Seruo-

b) Cfr. Mannert c. l. p. 184. 186. 248. 250. 314. Difs. nostrae Exerc. I. p. 24.

c) v. e. g. Gregor. Tur. VI. 31. VIII. 30. ap. Du Chesne I. 366. 404.

d) Inde iam sub Theodoberto R. leudium s. militum beneficiariorum tanta vis erat, vt cum bellum a Childeberto et Chlothario regibus ipsi

inferretur soli leudes eum defenderent et in regno stabilirent. v. Gregor. Tur. III. 23. ap. Du Chesne I. p. 303.

*) V. Ant. Dad. Alteserra de Ducibus et Comit. Galliae. Tolosae 1643. Lib. I. c. 5. Prima, eaque haud obscura huius rei vestigia occurrunt in Capit. Caroli Calui tit. LIII. c. 9. ap. Bal. tom. II. p. 263.

rum autem etsi conditio longe melior erat, quam mancipiorum apud Romanos, ^{e)} nulla tamen in ciuitatibus ratio habebatur, nisi quod eorum etiam, vt reliquorum hominum, compositiones per leges statutae essent. ^{f)} Igitur potius domus partes videbantur, quam reipublicae, ac, si quis eos occidisset, non agnatis aut propinquis, sed dominis mulcta soluebatur. ^{g)} Liberi vero, prout vel ingenue nati, vel ex seruitute manumissi erant, diuersis iuribus utebantur. Nam libertinos multum supra seruos fuisse Tacitus negauit, raro aliquod eorum momentum in domo, numquam in ciuitate fuisse prodens, exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regibus essent subiectae. ^{h)} In liberis autem populis ingenui, penes quos solos ius ciuitatis ac militiae erat, maximo honore summaque libertate fruebantur. Inde res publicas sua voluntate regebant et administrabant, bella decernebant, duces eligebant, domi vero res omnes pro lubitu plerumque agebant et componebant, nullis magistratibus legibusue circumscripti. Propterea ingenuorum hominum occisio grauiori poena expiari debebat, quam seruorum, aut libertinorum et, quo

^{e)} Tac. l. c. c. 25.

^{f)} L. Angl. et Ver. tit. I. §. 4.
L. Saxon. tit. II. §. 4. Lex Sal.
reform. tit. XLI. L. Ripuar. tit.
VIII. XIX ls. Apud Frisones do-

mini seruos occisos aestimabant. L.
Fris. tit. IV. §. 1.

^{g)} L. Fris. c. 1.

^{h)} Tac. c. l. c. 25.

purior ingenuorum sanguis seruaretur, ii, qui seruas vxores duxissent, saepe in seruitutem detrudebantur, i) et vel liberi, ex propriis ancillis procreati, in seruitute erant paternae hereditatis expertes. k) Ciuitatis autem et libertatis iura ex sola natiuitate, non ex opibus praediisque aestimabantur; quod quidem contra eos monendum esse putau, qui liberorum hominum dignitatem ex praediorum fundorumque conditione pependisse contenderunt. l) At vero supra iam monuimus, m) omnes ingenuos homines, vbi necessitas exigeret, mili-

i) L. Sal. ant. tit. XIV. §. 11. tit. XXIX. §. 5. L. Anglior. et Ver. tit. X. §. 5. Adam. Brem. l. l. Cf. L. Sal. ant. tit. XIV. §. 6. L. Alam. tit. LVII.

k) Marculfi form. App. form. 47. ap. Canz. tom. II. p. 264.

l) I. Moeserus scilicet in Hist. Osnabr. saepius cit. tom. I. p. 35 fs. non nisi maiorum fundorum dominos, quos *Wehren* vocat, et in conciliis populorum liberorum et in militia locum habuisse contendit; caeteros autem, qui pusillos agros possiderent (*unwehriges Gut*) nec caput ciuile habuisse, nec suffragia in comitiis ferre, nec militiam facere potuisse, atque sic *ciuium dignationem a praediis pependisse* adiungit p. 43. In eundem errorem quoque Eccardus aliqui cecidisse videntur, qui nomen Athalingorum ex barbara voce *Od*, possessio, deducere voluerunt.

v. Eccardi notas ad l. Sal. ant. ap. Canz. tom. II. p. 38. Scheidt c. 1. — Quorum quidem sententiae accedere nequeo. Nam si ita fuisset praediorum domini, vt qui caeteros ciues auctoritate tantopere superarent, non potuissent non maiore quoque compositione vti: at vero nusquam hoc ex legibus antiquis extorquere poterunt. Vnicum habemus exemplum inter Francos, vbi Romani, qui praedia possiderent, maiorem compositionem acceperant, quam reliqui Romani, quia eminentiorem quasi in republica locum obtinerent, quam reliqui, quibus, vt de victis subditisque, Franci barbaros longe praeferre solebant. (L. Sal. ant. tit. XLIV. §. 7 et 15.)

m) V. Difs. nostrae Exerc. I. p. 9 et 30. vbi addas: Capit. Caroli Calui tit. IX. c. 5. ap. Bal. tom. II. p. 44.

tasse adeoque omnes ciues, cum onera aequa ferrent, iuribus etiam aequis esse gauisos. Hinc non nisi pluribus saeculis post, feudali nexu vbique locorum introducto, hoc factum esse reor, vt praediis quaedam iura et onera imponerentur, quae ad vnumquemque eorum possessorem translata, conditionem et statum eius vel augerent, vel minuerent. ⁿ⁾)

In gentibus autem, quae regnabantur, procul dubio ciues militesque iam ab antiquissimis inde temporibus haud tanta libertate fruebantur, quantam reliqui populi ciuibus tribuebant, quod et natura regnorum suadet et illa defendunt, quae Tacitus de libertinorum iuribus in regnis competentibus memoriae prodidit. Inde nec in rebus publicis gubernandis, nec in priuatis causis tractandis suo omnia arbitrio statuere poterant, sed regibus, magistratibus et iudicibus erant subiecti, qui leges aut ferrent, aut iuberent, crimina punirent, litesque et iurgia dirimerent. Eandem vero sortem paulatim, postquam reges perpetuos sibi praefecissent, liberae quoque gentes sunt expertae; ac Franci quidem, increscente regum et optimatum potentia magis magis-

ⁿ⁾ Hoc quidem antiqua paroemia iuris Germ. significare videtur: *Frey Mann, frey Gut.* v. *Eisenhart. Grunds. d. deutschen Rechts in Sprüchwörtern.* Hte Abtheil. No. 16. Ipse Moese-

rus quoque alio loco huius nostrae opinioni quodammodo accessit in *Ei. Patriot. Phantasien*, Edit. II. da. Berol. 1778, tom. II. p. 203.

que libertate priuabantur, vt, qui modo ciues fuerant, summas regni partes obtinentes, mox subditi regum et optimatum euaderent, adeoque, per militiae sumtus et magistratuum iniurias, opibus bonisque exspoliati, non raro ad extremam egestatem et ipsam seruitutem deprimerentur. Scilicet prolatis regni finibus, militia heribannaria longe maiores exigebat impensas, quam olim, cum proprios quisque penates defendebat et vxores pugnantibus ex propinquo cibos et hortamina adferebant, ^{o)} ac vna saepe militis instructio prope omnem rem familiarem eius absorbebat. ^{r)} Accedebant hisce ciuium aerumnis mulctae, vt tunc res erant, admodum graues, regum arbitrio in eos statutae, qui vel ipsi ad militiam vocati defuissent, vel delectum subterfugientibus opem tulissent; ^{s)} quibus quidem soluendis si bona militum haud sufficerent, donec debitis satisfactum esset, magistratibus seruire cogebantur, ^{r)} et in eo nexu constituti, sicut reliqua mancipia, dominis operas praestare debebant et noxae dari pote-

^{o)} Tac. c. 1. c. 7.

^{p)} v. Dils. nostrae Exercit. I. p. 28. et leg. ibi laud.

^{q)} V. ibid. p. 53 et 54. Quam graues autem hae mulctae fuerint, id optime intelliges perlectis Leg. Ripuar. tit. XXXIV. §. 11. et Capitularis Saxon. c. 11. vbi pretium

solidorum constituitur, et singulae res, quae tunc erant plerumque in patrimonio hominum, aestimantur.

^{r)} Capit. Caroli M. I. de ao. 810. c. 11. Capit. II. de ao. 812. c. I. ap. Bal. tom. I. p. 474 et 493. Lex Longob. Lib. I. tit. XIV. §. 13. Capit. Lib. IV. App. II. c. 29. ap. Bal. I. p. 797.

rant. *) Ita quidquid dignitati opibusque ingenuorum esset detractum, id proceribus regisque magistratibus adcrecebat, qui mox auctoritate et muneribus mandatis ad plebem flebili modo opprimendam abuti coeperunt. Inde perlegendibus nobis antiquos legum et historiârum codices ubiuis occurrunt argumenta, quibus miseram civium conditionem docemur. Nimirum Duces, Comites caeterique magistratus, utroque, tam militari, quam iudiciario muniti imperio, †) quos vel-
lent, milites conscripserunt, neque eos, quos leges immunitate donassent, minus, quam reliquos ad signa vocarunt; qui dona magistratibus largiri noluissent, eos vel effectis iudiciariis causis condemnarunt, vel adeo vexarunt militia, ut ad paupertatem depressi vel inuiti se suaeque omnia traderent. ‡) Alii Comites et prae-

*) Capit. Lib. III. c. 29. Lex Baiuvar. tit. II. c. 1. §. 5. Capit. Caroli Calui tit. XXXVI. c. 34. ap. Baluz. II. p. 192.

†) Anon. vita Ludou. P. ad ann. 776. ap. Du Chesne II. p. 237. Schmidt Gesch. d. Teutschen. lib. II. c. 7.

‡) V. inprimis Capit. Caroli M. III. de ao. 811. De causis, propter quas homines exercitalem obedientiam dimittere solent, ap. Bal. tom. I. p. 485. Quod pauperes se reclamant exspoliatos esse de eorum proprietate. Et hoc aequaliter clamant super Episcopos

et Abbates et eorum Aduocatos et super Comites et eorum Centenarios. Dicunt etiam, quod quicumque proprium suum Episcopo, Abbati, vel Centenario dare noluerit, occasiones quaerunt super pauperem, quomodo eum condemnare possent et illum semper in hostem faciant ire, usque dum pauper factus nolens volens suum proprium tradat aut vendat; alii vero, qui traditum habent absque ullius inquietudine domi resideant. Deinde cap. 5. ibid.: Dicunt etiam alii, quod illos pauperiores constringant et in hostem ire faciant et illos, qui habent, quod dare possint, ad propria dimitunt. Capit. Caroli M. de ao. 812.

fecti, quid? quod et minores magistratus atque vasalli Comitum tributa, census et operas a ciuibus ausi sunt exigere, ^{v)} neque raro vi metuque coactos ciues in seruitutem detrudere et venundare consueuerant. ^{w)} Denique permulti homines, conterriti quotidiano fere eorum adpectu, qui vel militiae oneribus, vel magistratuum iniuriis occumberent, omitta libertate ^{x)} se suasque res ecclesiis tradere maluerunt, quam paullatim iudicum et praefectorum artibus absumi. Hinc inter causas, quibus seruorum et hominum priorum numerus olim adauctus est, praecipue quoque heribannariam militiam et reipublicae eidem adcommodatae

c. 5 et 6. ap. Bal. tom. I. p. 491.

— Quod quidam homines postquam secundum nostram iussionem sociis suis, qui in hostem perrexerunt de stipendia sua adiutorium fecerant, iubente Comite vel ministerialibus eius propter se redimendum pretium dederunt, ut eis domi remanere licuisset, cum illi in hostem ire non debeant, quia iam sociis suis constitutum a nobis adiutorium dederunt. Cfr. praeterea Capit. Caroli M. II. de ao. 805. c. 15. et Capit. III. eiusd. ai. c. 17. Steph. Bal. in Comment. ad Capitul. lib. I. c. 115. in Ei. Capit. Reg. Franc. tom. II. p. 1164.

^{v)} Constitutio Caroli M. in lege Longobard. lib. III. tit. XII. c. 1. Capit. Pippini regis Italiae de ao. 793.

c. 26. ap. Bal. I. p. 539. Capit. Caroli M. V. de ao. 803. c. 17. ibid. p. 400.

^{w)} Vita St. Boniti ap. Du Chesne tom. I. p. 685. — Causas ipsi commissas ea ratione perorauit, ut non tam iudex, quam sacerdos esse videretur. Neque enim, ut more illic comparatum erat, homines venundari, aut exilio muletari, vel captiuos detineri vnquam iussit etc.

^{x)} Etiam illi homines, qui seruata libertate alienos agros colebant, nec proprios fundos possidebant, minoris habebantur, quam reliqui ingenui, et a testimonio in causis ingenuorum dicendo arcebantur. Vid. Capitul. Ludou. P. de ao. 829. c. 6. ap. Bal. tom. I. p. 671.

rationem equidem referendas esse puto, 1) quippe quae tantopere laborauerint in diminuendo numero hominum ingenuorum, ut iam tunc, cum Ludouicus Pius sub auspiciis imperii legatos per provincias mitteret, qui diligenter inquirerent, quidquid a magistratibus Carolo M. regnante iniuste perpetratum esset; *innu-mera hominum multitudo reperiretur a magistratibus aut ablatione patrimonii, aut exspoliatione libertatis oppressorum.* 2)

§. 2.

De statu familiarum iuribusque Germanorum inde oriundis.

Inter liberas gentes, quae rempublicam consilio viribusque omnium hominum ingenuorum, quos ciuitas armis suffecturos probasset, et administrare et defendere consueuerant, horum ipsorum, ut in publicis, sic in priuatis quoque rebus, non potuit non summa libertas atque auctoritas nasci, cuius praecipuum hoc

D 2

1) Cfr. praeterea de hac re: Hegewisch *Gesch. d. Regierung Carls d. Gr.* 2te Ausg. Hamb. 1791. p. 292. Mannert. c. I. p. 324. 351. et alibi. Moeser *Osnabr. Gesch.* tom. I. p.

240. 345. Meiners *Gesch. der Ungleichheit der Stände unter d. vornehmsten Europ. Völkern.* tom. I. p. 146.

2) Theganus in vita Ludou. P. c. 13. ap. Du Chesne tom. II. p. 278.

esset argumentum, quod domi quisque paterfamilias suprema fere potestate frueretur, nullis legibus aut iudiciis circumscriptus. Liberis enim viris indignum et indecorum censebant, sub vllius, praeterquam Deorum immortalium, esse potestate. Hinc a ciuib; muneris alicuius honore elatis, eos verberari, vel vinciri haud licebat, bonique mores plus inter eos valebant, quam alibi bonae leges. ^{a)} Singulae igitur familiae gentesque procul dubio olim singulas et priuatas societates constituerunt et ipsae respublicae speciem quasi plurium ciuitatum prae se tulerunt, vno foedere coniunctarum, quae, si discesseris a bellis publicis, omnium auxilio gerendis, laxioribus vinculis continebantur, quin saepe mutuis se turbis caedibusque lacescebant. Ideo Germanis tantum inerat studium vires familiarum augendi et amplificandi; tantoque gratiosior videbatur ipsis senectus, quanto plus propinquorum et affinium haberent. ^{b)} Ac eadem haec gentis celebritas procul dubio causa fuit, cur nobiles nonnulli plurimis nuptiis ambirentur. ^{c)} Quicunque ex eadem familia nati erant, rerum omnium communi-
one fruebantur et ex praediis communibus alimenta capiebant. Principes autem familiarum, patres, filii,

^{a)} Tac. c. l. c. 19.

^{b)} Id. c. l. c. 20.

^{c)} Id. c. l. c. 18.

patrui, vel auunculi, ^{d)} prout aetas, agnatio, aut virtus cuique hanc dignationem assignaret, res familiarum administrabant et ducum auspicumque munere fungebantur; iidem, populo ad bellum profecto, praeerant propinquitatibus et familiis, quae ne in acie quidem per ordines exercituum dispergebantur, sed in vnum collectae quasi corpus turmas et cuneos componere solebant. ^{e)} Domi quisque paterfamilias domesticis iura reddebat, controuersias et iurgia componebat atque, propinquis agnatisque in consilium adhibitis, omnia, quae totius gentis interessent, curabat et agebat. ^{f)} Hinc vniuersa domus iniurias singulis illatas vlciscebatur, ac si quis ex propinquis extraneum aliquem offenderet, omnes vnum defendebant, armis et vulneribus potius, quam orando et postulando lites composituri. ^{g)} Caeterum patres liberos suos fratresue impuberes, feminas ceterosque domesticos tuebantur, alebant suaque potestate sic continebant, vt vel delicta ab iis commissa punirent, exceptis iis, quibus ciuitates ipsae violatae essent. ^{h)}

^{d)} Tac. c. l. c. 10. 20.

^{e)} Id. c. l. c. 7.

^{f)} Id. c. l. c. 18.

^{g)} Id. c. l. c. 21.

^{h)} Potestatem vitae necisque in seruos competentem et poenam adulterii maritis et propinquis permissam Ta-

citus testatur c. l. c. 25 et 19; publica delicta vero a populo iudicata apparent ex cap. 12. De patria potestate, in liberos fratresque competente. Cfr. Ei. c. 13. *Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam ciuitas suffragurum probauerit.* —

Atque haec familiarum antiquissima iura Germanis tam sancta visa sunt, ut ne tunc quidem ea plane tollerentur, cum, rerumpublicarum vinculis arctius contractis, delictorum compositiones et iudicia introduci coepissent. Immo priscas consuetudines legibus munitas, iisque ipsam ciuitatum securitatem, domi forisque conseruandam, maxima ex parte superstructam fuisse videmus. Nam priuatorum criminum ultiones priuatis plerumque relinquebant atque, ne bellis internis et caedibus familiae hominesue paullatim absumerentur, id vnum legibus sanciebant, ut non amplius vulneribus solum et sanguine inimicitiae exstingerentur, sed certo pecuniae, pecorumue, vel armentorum numero componerentur, quem, plerisque delictis praefinitum, etiam iudicum auctoritate consequi possent. i) Con-
dominia praediorum, quibus praecipue familiarum vires

*Haec apud illos roga, hic primus inuen-
tae bonos: ante hoc domus pars viden-
tur, mox reipublicae.*

i) Haec scilicet, ni fallor, prima fuit compositionum origo veraque indoles, ut cum priscis temporibus transigeretur modo de redimendis iniuriarum ultionibus ac tantum solueretur, quantum litigantibus placuisset; postea, ne perpetuis bel-
lis ciuitatis securitas in discrimen veniret, per pacta inter ciues inita, aut a viris prudentibus morumque

patriorum peritiis, omnium delictorum certae compositiones constituerentur, quas criminum rei hominibus iniuria laesis, aut propinquis eorum soluerent. Tac. c. l. c. 21. Ipsa vero ciuitas aut reges cauebant, ne quisquam eas multas soluere recusaret, ideoque partem multae accipiebant, cui, cum propter pacem reipublicae violatam penderetur, nomen *Fredi* datum est. Tac. c. l. c. 12. Moeser. *Osnabr. Gerch.* tom. I. p. 22 ff.

et auctoritas sustinebantur, legibus muniebant et, quo minus turbarentur, feminas arcebant a possessione praediorum, solis agnatis seruatorum. Isti vero cum vita et anima simul iura familiae communia suscipiebant, ita quidem, vt qui iura agnationis omitteret, simul etiam condominio familiae priuaretur. Adeoque ciuitatum intererat, familiarum societates saluas esse, vt nemo nisi publice ex patria potestate exire vel agnationis iura tollere posset, dum in mallo et coram iudicibus pagorum, multis adhibitis solennitatibus, declararet, *quod se et de hereditate, et de iuramento, et de tota ratione propinquorum suorum tolleret.*^{k)}

Singulis vero familiis etiamnum vnus praeerat, caeterorum princeps et caput quasi familiae, qui domesticos sua potestate comprehensos tueretur atque defenderet, praedia gentilitia administraret, iura redderet caeteraque perageret, quae ad vtilitatem domus spectarent.^{l)} Quo quidem munere, cum inprimis

k) Lex Salica ant. tit. LXIII. ap. Canz. tit. II. p. 106. *Siquis de parentilla tollere se voluerit, in mullum, aut in Tuncinium admallare debet et ibidem quatuor fustes aluiuos super caput suum frangere debet in quatuor parres et illas in mallo iacere debet et ibi dicere: Quod se et de iuramento et de hereditate et de tota ratione illorum tollat. Et sic postea si aliquis de suis parentibus aut moriatur aut occideretur*

nulla ad illum compositio hereditatis perueniat. Simili modo si ille moriatur ad suos parentes non pertineat causa nec hereditas eius, sed a modo cum duodecim iuratoribus se exinde educat. Lege Sal. recent. ibid. p. 155. hereditatem eius homines fisco regis cecisisse traditur.

l) Lex Fris. tit. I. §. 7. tit. IV. §. 1. tit. XV. §. 3. Leg. Withraedi Regis ap. Wilkins c. 1. p. 11. Lex

patres fungerentur, post eorum obitum eos ex filiis, vel agnatis vsos esse suspicor, qui praedia in condominio familiae constituta possiderent. Id enim inter Anglos et Verinos saltem moris fuisse satis clare leges eorum demonstrare videntur, ^{m)} quibus sancitum erat, *ut heres terrae vestem bellicam defuncti et ultionem proximi et solutionem leudis susciperet*, siue filius esset defuncti, siue gradu remotior aliquis agnatus; quae quidem verba praecipua patrumfamilias antiqua iura comprehendunt, locum eminentiorem in militia, defensionem et ultionem iniuriarum, domesticis illatarum, et lucrum ex compositionibus percipiendum. Nec tamen semper familiae princeps solus compositiones et soluebat et accipiebat, sed vel ipse reus pendebat multas, vel proximi cognati et heredes compositiones defunctorum suscipiebant et soluebant. ⁿ⁾ Quin sequenti tempore, cum pro mulctis potius haberi coepissent, necessario soluendis, quam pro redemptionibus ultionum et bellorum, pacto promissis, ad ipsas feminas etiam perueniunt, ^{o)} atque caput familiae tunc demum

Sax. tit. VI. §. 3. tit. VII. §. 3. 4. Lex Fris. tit. IX. §. 3—13. Leges Aethelbirthi Regis ap. Wilk. p. 7. §. 75. 81.

^{m)} tit. VI. §. 5. ap. Canz. tom. II. p. 33. Cfr. etiam Capit. Ludou. P. Wormat. de ao. 829. c. 4. infra cit.

ⁿ⁾ Lex Fris. tit. I. §. 1. tit. XIV. §. 6. Lex Aethelbirthi R. §. 33. Leg. Aelfredi R. §. 3 et 27. apud Wilk. p. 3. 36. 41. Lex Sal. ant. tit. LXI et LXV.

^{o)} Lex Sal. ant. tit. LXI. Lex Fris. tit. XIX. §. 2.

haud dubie tenebatur, si quis ex iis, quos in potestate sua habebat, feminae, serui alique delictum commississent, nec ipsi satisfacere possent.

Quo minus autem hae familiarum societates ciuitatibus aliquid detrimenti possent adferre, legibus simul erat institutum, vt patresfamilias domesticos a delictis et flagitiis cohiberent et, veluti vades et fideiussores, ciuitatibus pro eis cauerent. Ideo patres ex criminibus a domesticis perpetratis conueniri potuerunt, vt vel iudicio reos sisterent, vel damnum resarcirent, vel denique eos noxae darent. *p)* Eaque de causa domestici dicebantur in fide, *q)* iuramento *r)*, mundeburdio *s)* seu fideiussione *t)* patrum esse constituti, ipsi vero patresfamilias aliquando fideiussores familiae vocantur. *u)* Cui quidem obligationi vt eo melius satisfaceret, potestas patribus data est, aut confirmata potius, antiquitus possessa, qua non solum rixas atque controversias motas dirimerent, sed delicta quoque singulis

p) Lex Angl. et Ver. tit. X. §. 5.
Si seruus liberam feminam rapuerit, dominus compositionem soluat ac si occisa fuisset. tit. XVI. *Omne damnum, quod seruus fecerit, dominus emendet.* Lex Fris. tit. XII. Lex Saxon. tit. XI. Lex Sal. ant. tit. XXXVIII. §. vlt. et tit. LXL. Lex Ripuar. tit. XXX.

q) Lex Sal. ant. tit. LXL. §. 2.

r) L. Sal. ant. tit. LXIII.

s) Leges Aethelbirthi Regis §. 75. Leges Hlotharii et Eadrici R. §. 14. ap. Wilk. p. 7 et 9.

t) Leg. Cnuti Reg. §. 28. ibid. p. 159.

u) Leg. Cnuti. l. c.

hominibus illata punirent.^{v)} Videntur autem huic patrumfamilias imperio praeter seruos, libertos, feminas, quippe homines civili capite destitutos,^{w)} aliquo modo liberi quoque homines subiecti fuisse, ex eadem familia nati, qui, cum nihil bonorum ipsi possiderent, in aedibus agnatorum morabantur victumque et alimenta a principibus familiae accipiebant: ^{x)} neque minus filii fratresque impuberes, quos ciuitas armis suffecturos nondum probauerat, sub imperio patrum fratrumue versabantur. Nam, quod etiam per militiam factum esse puto, certus maioris aetatis terminus nusquam inter Germanos antiquos constitutus legitur, sed simul ac quisque eum animi corporisue vigorem esset adeptus, vt armis ac militiae laboribus par esset, ciuitas eum agnouit et locum in concilio ei dedit, vt, qui modo domus pars habitus esset, mox reipublicae esse

^{v)} Lex Fris. tit. III. §. 5—7. tit. I. §. 13. tit. IX. §. 2. Lex Saxon. tit. III. §. 3.

^{w)} Ideo quoniam feminae, serui et liberi fratresue impuberes non sui iuris, sed patrum fratrumue potestati subiecti erant, nullum cum iis negotium valide potuit peragi, nisi dominipatresue auctores facerent. L. Ripuar. tit. LXXIV. ap. Canz. tom. II. p. 317.

^{x)} Id, quantum video, patet primum ex tit. LXI. Legis Sal. ant. vbi, postquam reus delicti bona sua propinquis cessit, ipse in fide alicuius ex agnatis constitutus esse dicitur; deinde vero etiam ex legibus Aethelstani Regis §. 8. ap. Wilk. p. 57. *Et diximus, si quis terra carens homo in alio comitatu seruiat et deinde cognatos suos visitet et hoc modo ab ipsis hospitio excipiarur, vt eum ad ius ducant, si culpam commiserit, vel compensent.*

videretur. 3) Ac serius demum, iudiciis constitutis, cum ciuium causae publica potius auctoritate deciderentur, quam armis priuatorum, necessarium esse ducebant, certos pubertatis annos definire, ante quos nemini suas res in iudicio peragere fas esset. 2) Ex iisdem vero moribus antiquis et ex magno illo militum honore id quoque Germani forsitan retinuerunt, vt patria potestas per oeconomiam propriam a filio institutam soluatur, a) quia sic et olim tutela ac patrocinium parentum procul dubio finiebatur.

Nonnumquam vero etiam alii homines ingenui in patrocinio et fide ciuium, locupletiorum forte et poten-

E 2

3) Tac. c. l. c. 13.

2) Lex Ripuar. tit. LXXXI. Si quis homo Ripuarius defunctus fuerit vel interfectus et filium reliquerit, usque ad quintumdecimum annum plenum nec causam prosequatur nec in iudicio interpellatur responsum reddat. Quintodecimo autem anno aut ipse respondeat, aut defensorem eligat. Similiter et filia. Huc spectat etiam Capit. Ludouici P. Wormatiense de ao. 829. cap. 4. ap. Baluz. I. p. 670. Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, et ipse homo easdem res alicui alteri dederit siue vendiderit let ipse, qui tunc easdem res comparatas habet, per malum ingenium proprio filio aut alteri cuilibet, necdum legitimis annos habenti, iustitiae tollenda e

causa tradiderit, volumus atque firmiter praecipimus, vt si pater eiusdem parvuli vixerit, ipse intrer in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem pater ipse mortuus est, tunc legitimus eius propinquus, qui iuste ei tutor ac defensor videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus iustitiis ad eum pertinentibus excepta sua legitima hereditate, quae ei per successionem parentum suorum legitime venire debuit etc. Vbi inprimis hoc singulare videtur, quod ratione rerum auitarum s. hereditatis parentum, quae iure condomini ad eundem adolescentem peruenerat, mores antiqui seruati sunt.

a) v. Hertii *notitia vet. Germ. pop.* Cap. III. §. 3.

tiorum, versabantur, quos patrōni, criminis vel aliūs causae postulatos, iudicio sistere causamque orare, vel compositiones pro iis soluere et damnum resarcire debebant. *b)* Quorum quidem in numero praecipue etiam peregrini erant apud plerasque liberas gentes. Cum enim praediis destituti non haberent, unde delicta ab iis forte commissa possent expiari, ut homines periculosi et incertae fidei, cum aliqua suspicio in eos cecidisset, pro hostibus habiti, impune poterant occidi. *c)* Ut ne tamen inhumanius de iis ageretur, neque rebus publicis periculum aliquod crearetur, mox aut pactis et foederibus inter vicinas gentes, exterorum aliqua compositio statuta *d)*, aut pro iure sancitum est, ut peregrini vel in tutela et patrocinio regum essent *e)*, vel ciues, tribus noctibus eos hospitio recipientes, patrōni et va-

b) Lex Ripuar. tit. XXXI. §. 1. Quodsi homo ingenuus in obsequio alterius inculpatus fuerit, ipse, qui eum post se eodem tempore retinuit in praesentia iudicis similiter, sicut superius comprehensum est, (tit. praeced. ubi de interpellatione servorum agitur quos domini iudicio sistere debent) repraesentare studeat, aut in rem respondere. §. 2. Quodsi eum non repraesentaverit, tale damnum incurrat, quam ille sustinere debuerat, qui in eius obsequio est inculpatus. Lex Sax. tit. XVII. Liber homo, qui sub tutela nobilis cuiuslibet erat, qui iam in exilium missus est, si hereditatem suam

necessitate coactus vendere voluerit, offerat eam primo proximo suo; si ille emere noluerit, offerat tutori suo, vel ei, qui tunc a Rege super ipsas res constitutus est. Si nec ille voluerit, vendet eam cuicumque voluerit.

c) Leges Inae regis §. 20. apud Wilk. p. 18.

d) Lex Sal. ant. tit. XLIV. Lex Ripuar. tit. XXXVI.

e) Leges Inae R. §. 25. apud Wilk. p. 18.

des eorum existerent eosque defenderent et crimina perpetrata resarcirent. *f*)

Propter hanc vero summam patrumfamilias auctoritatem et libertatem corpus cuiusvis et domus atque area tam sancta habebantur, ut ne publicis iudicibus quidem liceret eas intrare et ciuem delicti reumprehendere, sed domi quisque plenissima pace frueretur. *g*) Inde si quis in ius esset vocandus, ab actore cum testibus, vel a iudice et scabinis foras euocabatur. *h*) ac si contumax non audiret, ne tum quidem vi poterat extrahi, sed vel pignus auferebatur, *i*) vel in grauioribus delictis interdum ex decreta caeterorum ciuium sententia aedes eius incendebantur, ut reus sponte egredi cogeretur. *k*) Iniuriæ ciuibz in propriis aedibus illatae atrocius puniebantur, *l*) homicidium autem ibi perpetratum nonnumquam capitali poena vindicabatur: *m*) ipsaque cri-

f) Leges Hlotharii et Eadrici Regis §. 15. ibid. p. 9. Leg. Edwardi Confessoris R. §. 27. ibid. p. 202. Idem forsitan apud plerasque gentes liberas in Germania moris erat, itaque, qui modo hospes fuerat, mox hospitii proximi monstrator et comes viae exstitit, ut ne, quod peregrinus in itinere forte commisisset delictum, id hospes defendere aut expiare deberet. Tac. c. 1. c. 21. Moeser. c. 1. tom. I. p. 28 et 29.

g) Addit. Sapient. ad Leg. Frision. tit. I. §. 1. ap. Canz. tom. III.

p. 13. *Homo fidosus pacem habeat in Ecclesia, in domo sua, ad Ecclesiam eundo etc. Qui hanc pacem effregerit et hominem occiderit novies XXX sol. componat.*

h) Lex Sal. tit. I. §. 3.

i) Lex Ripuar. tit. XXXII. §. 3. ac in primis Lex Sal. ant. tit. LIII et LV.

k) Capitulare Saxon. c. 8.

l) Lex Fris. tit. VII. §. 2. Addit. Sap. l. c. Lex Ripuar. tit. LXIV.

m) Lex Saxon. tit. III. §. 4.

mina ab extraneis in area, vel aedibus alienis commissâ, quia pax domestica laesa videbatur, mulcta, domino areae soluenda, expiari debebant. ⁿ⁾

Ex eadem vero etiam hac familiarum coniunctione caetera pleraque personarum iura nascebantur. Primum enim feminae, quia nunquam in ciuitate locum obtinebant, neque se ipsae defendere poterant, sub tutela atque potestate perpetua propinquorum et maritorum versabantur, ^{o)} et interdum vel pro hominibus vilioris generis habitae, vt seruiles operas praestabant et officia domus curabant, ^{p)} ita caeterum quoque ancillis prope aequiparatae, et emebantur et vendebantur, ^{q)} adeoque in possessione, vel dominio tutorum esse dicebantur: ^{r)} quamquam nonnullae gentes, antiquissimo Germanorum more sanctum et diuinum aliquod fe-

ⁿ⁾ Leg. Hlotharii et Eadrici Reg. §. 11. *Siquis aliquem in alterius area periurum vocet, aut ipsum ignominiosis verbis inhoneste compellet, solidum soluat ei, qui aream possidet, et sex sol. ei, in quem hoc verbum dixit et regi XII. sol. persoluat.* §. 14. Si area illa cruentetur, compenset viro isti patrocinium violatum et regi L. solidos.

^{o)} Lex Angl. et Verin. tit. X. §. 2. Lex Fris. tit. IX. §. 11. Lex Saxon. tit. VII. §. 2. ls. Lex Sal. ant. tit. XLVII. Leg. Aethelbirthi §. 31. ap. Wilk. p. 7. Leg. Eadmundi R. §. 1. ibid. p. 75.

^{p)} Tac. c. l. c. 15. 25.

^{q)} Lex Saxon. tit. XVIII. §. 1. *Lito regis liceat uxorem emere, ubicunque voluerit. Leges Inae R. §. 31. ap. Wilk. p. 19. Siquis feminam mercetur et pretium non proueniat, dec pecuniam ex persoluat ac compenset vadi, quasi fideiussionis suae violator sit. L. Aethelbirthi §. 32 et 76. ib. p. 4 et 7.*

^{r)} Leg. Aethelbirthi R. §. 81. ap. Wilk. p. 7. *Siquis virginem per vim ceperit possessori L. solidos det et postea secundum possessoris voluntatem eam redimat.*

minis inesse ratae, ^{s)} maiori honore eas haberent et crimina in mulieres perpetrata grauius vlscerentur. ^{t)} Tutela vero virginum procul dubio patribus primum compete-
 bat, his autem defunctis ad agnatos proximos deferebatur, vti Saxonum lege ^{u)} post mortem patris primum fratri puellae vterino, eoque deficiente, patruo vel agnato proximo delatam esse legimus. Neque tantum virgines tutelae suberant, sed et viduae, [solut]o matrimonio erant sub tutela, vel propinquorum mariti, vel agnatorum paternae gentis, ^{v)} et vxores maritorum imperio regebantur.

Deinde, ne matrimoniis et affinitatibus familiarum societates iusto plus extenderentur, nec inuitis patribus et propinquis onera tutelarum et fideiussionum augerentur, legibus est sancitum, vt non, nisi adhibito parentum, tutorum et propinquorum consilio atque consensu, valida sponsalia contrahere liceret. ^{w)} Intererant ideo sponsalibus liberorum celebrandis, conditionem cognituri et oblata munera probaturi, ^{x)} iisque inuitis si quis puellam vxorem duxisset ob violatum patrocini-

^{s)} Tac. c. I. c. 8.

^{t)} Lex Fris. X. §. 4. Lex Sax. tit. II. §. 2.

^{u)} Lex Sax. tit. VII. §. 6. 5 et 7.

^{v)} Lex Sax. l. c. §. 2. Lex Sal. tit. XLVII. Legg. Aethelbirthi R.

§. 76. Leg. Eadmundi R. §. 1. ap. Wilk. p. 7 et 75.

^{w)} Lex Sax. l. c. Lex Sal. ant. tit. LXX. *Siquis filiam alienam ad coniugium quaesierit praesentibus suis et puellae parentibus etc.*

^{x)} Tac. c. I. c. 18. et Leg. cit.

nium, y) tutori vel parentibus mulctam soluere debebat, z) ipsaque mulier inter Anglos Verinosque ademptione hereditatis paternae plectebatur. a) Sponsi praeterea munera parentibus, vel tutoribus offerebant, quibus vxores emerent, b) siue vere ancillarum loco habitas, siue hunc in finem isto more introducto, vt esset aliquid, quod perpetuos tutelae labores leniret et compensaret, quamobrem viduae quoque ex agnatorum tutela coëmebantur. c)

Tandem vero, cadente militum heribannariorum auctoritate regibusque et magistratibus creatis, qui longe maiorem securitatem praebarent, quam a singulis ciuibz vnquam expectari posset; familiarum socie-

y) Leg. Aethelbirthi §. 75. apud Wilk. p. 7. Siquis viduam non sui iuris duxerit bis compenset parrocinium violatum. Ibid. §. 74 et 15. p. 3.

z) L. Fris. tit. IX. §. 11. Si liberam feminam extra voluntatem parentum eius, vel eorum qui potestatem eius habent, uxorem duxerit, componat tutori eius sol. XX id est den LX. §. 12. Si autem nobilis erat femina sol. XXX. §. 13. Si lita fuerit sol. X domino eius persolvere cogatur. Lex Sax. tit. VI. §. 2. Si autem sine voluntate parentum puella rament consentante ducta fuerit bis CCC. sol. parentibus eius componat. Leges Aethelbirthi Regis §. 81. ap. Wilk. p. 7.

a) Lex Angl. et Verin. tit. X. §. 2. Si libera femina sine voluntate pa-

tris, aut tutoris cuiuslibet nupserit, perdat omnem substantiam, quam habuit, vel habere debuit.

o) Lex Sax. tit. VI. §. 1. Vxorem ducturus CCC. sol. det parentibus eius. Ibid. tit. XVIII. Leges Anglosax. ap. Wilk. p. 4. 7 et 19.

c) Lex Sax. tit. VII. §. 3. Qui viduam ducere velit, offerat tutori pretium emtionis eius consentientibus ad hoc propinquis eius etc. Ex l. Sal. ant. tit. XLVII sponsalia viduarum adeo publice coram Tungino vel Centenario et in mallo celebrari debebant, cuius constitutionis equidem rationem reperire potui nullam, nisi forte Taciti locum aliquem G. c. 19. interpretationi volueris adhibere.

tates non modo minus necessariae credebantur, sed, quia tumultibus caedibusque non raro causas praebuerant, periculosae potius habebantur. Ideo, poenis praesertim capitalibus introductis, fideiussiones patrum pro domesticis praestandae, ipsumque imperium in eodem competens paulatim obsoleuerunt, nisi quod servos, siquod delictum perpetrassent, iudiciis sistere et pro iis respondere deberent. ^{d)} Compositiones, si non prorsus abrogatae essent, ^{e)} a iudicibus collectae hereditibus dabantur, vel fisco, raro vero pugnīs et armis eas extorquere priuatis licebat. Feminarum quoque tutela apud nonnullas gentes mature iam antiquata est; quare in legibus Alamannorum et Baiuuariorum nullam plane eius mentionem factam deprehendimus: et ipsae quidem mulierum coëmptiones, cum inter Francos quidem diu seruatae essent, ^{f)} imaginario tantum aliquo pretio oblato, speciem modo morum antiquorum repraesentabant, aut omnino quoque negligebantur, vt in gentibus, quae prius regnari coeperant, Alamannis et Baiuuariis, in quibus omnes omnino mores antiquos

d) Capit. Caroli M. ad leg. Ripuar. c. 4. ap. Canz. II. p. 320. Decretio Childeb. R. c. 10. Decretio Chlotharii R. c. 9. ibid. pag. 118. et 119.

e) Decret. Childeberti Regis §. 5. Leges Eadmundi R. §. 1. apud Wilk. p. 75.

f) Form. Bignonian. No. 5. ap. Canz. t. II. p. 270. Fredegarii hist. Francor. epitomata c. 28. ap. Du Chesne tom. I. p. 729. *Legati offerentes solidum et denarium, vt mos erat Francorum, eam parribus Chlodouai desponsant.*

adeo permutatos ciuiumque libertatem tantopere diminutam reperimus, vt iudicibus adeo ius esset, cines vi et poenis impositis in iudicium arcessere. g) Sed eae gentes, quae diutius liberas republicas et veterem militandi rationem retinuerant, priscos etiam mores diligentius seruauerunt; hinc ipse Carolus Imperator Saxonum deuictorum plerasque consuetudines, ex libertate antiqua et familiarum societatibus natas, confirmasse legitur; h) et inter Francos etiam iurium veterum vestigia diu reperiuntur, i) quid? quod ad nostram usque aetatem quosdam ex antiquis moribus seruatos esse constat.

§. 3.

De causis, cur feminae inter quasdam Germaniae gentes hereditate praediorum exclusae fuerint.

Nulla forte res in omni vetere iure Germanico plus interpretibus attulit laboris et impedimenti, quam leges quorundam populorum, quibus mulieres successione prohibitas fuisse comperimus. Nam cum rationes ea-

g) Lex Alamannor., tit. XXXVI. Lex Baiuuar., tit. XII. c. 1. et 2. Sic quoque sec. L. Baiuu., tit. X. c. 2. laesio pacis domesticae leuissime tantum punitur.

h) Lex Sax., tit. III. §. 4. Capit.

Sax. §. 8. Poeta Saxolib. IV. ad ann. 803. ap. Du Chesne II. 167.

i) Capit. Caroli M. adl. Rip. c. 5. Capit. Caroli Calui tit. 36. cap. 6. ap. Bal. II. 176. Capit. Lib. III. cap. 65.

rum sanctionum nusquam expressae sint et coniecturis potius colligi debeant, quam certis argumentis possint probari; inde alii alias causas excogitarunt, quas omnes enarrare vix huius loci esse videtur. Nec defuere, qui militiam id effecisse contenderent, a veritate, quantum equidem video, parum aberrantes, nisi forte in eo, quod onus militiae faciendae praediis impositum fuisse putauerint eamque ob causam feminas perferendis militiae laboribus impares, praediis caruisse statuerint. ^{a)} At vero satis opinor demonstratum est supra ^{b)}, non solos fundorum possessores militiae munere functos esse, sed omnes ingenuos, siue possiderent fundos, siue non, se suasque res ab hostibus defendisse, adeoque mulieres hac vna de causa nequitiam ab hereditatibus fuissent remouendae. Neque magis legum interpretationem adiuuare videntur caeterae rationes ex moribus Germanorum priuatis petitae, velut ex ingenio vel bellicoso, vel iniquo erga feminas, aut ex tutela, cui perpetuo illae subessent. Nam licet omnibus Germanis in rebus domesticis iidem fere mores essent et idem bellicosum ingenium, tamen non inter omnes populos mulieres eadem hac iurium iniquitate premebantur, sed

F 2

^{a)} Schmidt *Gesch. der Teut.* lib. II. c. 8. ^{b)} Exercit. I. p. 23. 30.

alibi inter filios et filias bona paterna aequa lance diuidebantur, alibi mulieres parte hereditatis erant destitutae. Neque tutelam sexus veram earum legum causam continuisse, Longobardorum probant consuetudines, quibus etsi feminae perpetuae tutorum potestati subiectae essent, c) haudquaquam tamen omnino successione exclusae fuisse deprehenduntur. d) Igitur in rebus Germanorum publicis et militaribus potius, arctissime quondam inter se coniunctis, verae huius diuersitatis videntur latuisse origines.

Nimirum neminem, qui vnquam diligentius legum antiquarum codices perlustrauit, hoc potest latere, mulieres in iis tantum populis hereditatum iuribus caruisse, quos fixis sedibus vsos, pacique et agriculturae studuisse, supra conati sumus probare; caeteras contra gentes bellicosas, aut regnatas vtrique sexui aequa hereditatum emolumenta tribuisse. Ita Angli quidem et Verini hunc morem seruauerunt, vt mulieres ex immobilibus bonis nihil acciperent; e) Frānci, iique Salii, feminas Sallica terra priuarunt; f) Ripuarii vero terras auiaticas

c) L. Long. lib. II. tit. I. et II.

d) ib. lib. II. tit. 14.

e) L. Angl. et Verinor. tit. VI. §. 1. Hereditatem defuncti filius non filia suscipiat. Si filium non habuit qui defunctus est, ad filiam pecunia et mancipia, terra vero ad proximum pa-

ternae generationis consanguineum perueniat. §. 2. Si autem nec filium habuit, soror eius pecuniam et mancipia, terram proximus paternae generationis accipiat etc.

f) Lex Sal. antiqu. tit. LXII. §. 6. ap. Canz. II. p. 104. De terra

ad illas peruenire noluerunt; g) Saxones quoque mulieres aut omni parentum hereditate excluserunt, aut quod verosimilius videtur, praedia modo filiis seruauerunt. h) Mobilia vero bona (mulieres vel aquis partibus cum filiis et agnatis defunctorum diuidebant, i) vel etiam partem harum rerum, muliebrem ornatum puta, prae reliquis heredibus solae nonnumquam accipiebant. k) Quid? quod etiam praedia aliqua ad filias

vero Salica in mulierem nulla portio hereditatis transit, sed hoc virilis sexus acquirat, h. e. filii in ipsa hereditate succedant. Sed ubi inter nepotes aut pronepotes post longum tempus de alode terrae contentio suscipiatur, non per stirpes sed per capita diuidantur. Quod in lege Sal. reformata tit. LXII. §. 6. ibid. p. 152. sic audit: De terra vero Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat: sed ad virilem sexum tota terrae hereditas perueniat.

g) Lex Ripuar. tit. LVI. §. 4. Sed dum virilis sexus existerit femina in hereditatem auitaticam non succedat.

h) Lex Sax. tit. VII. §. 1. Pater aut mater defuncti, filio non filiae hereditatem relinquit. §. 8. Qui filiam ac filium genuerit et filius uxore ducta et filium genuerit et mortuus fuerit, hereditas patris ad filium filii, id est nepotem, non ad filiam pertineat. Hereditatis autem nomine plerumque praedia hereditaria tantum continentur, v. L. Sax. tit. XVII. et tit. XV. ubi hereditati mancipia opponuntur et Gaertnerum ad h. l.

i) Lex Sax. ant. tit. LXII. §. 1.

Siquis mortuus fuerit et filios non dimiserit, (filiorum nomen libetos utriusque sexus continere et Eccardus ad h. l. notauit et Marc. lib. II. form. 12. probat.) si pater aut mater superstites fuerint, in ipsam hereditatem succedant. §. 2. Si pater et mater non superfuerint et fratrem et sororem dimiserit, in hereditatem ipsi succedant. §. 3. Si isti non fuerint, tunc soror matris in hereditate succedat. §. 4. Si vero soror matris non fuerit, sic soror patris in hereditate succedat. §. 5. Et postea sic de illis generationibus, quicunque proximior fuerit, ipsi in hereditate succedant, qui ex paterno genere veniant. Idem fere successionum ordo est in lege Ripuar. tit. LVI. qui, cum in utraque lege in fine titulorum laud. de praediis alia successionis ratio sit praescripta, non potest nisi ad mobilia bona pertinere. Accuratius quidem eam rem explicauit Lex Anglor. et Verinor. l. c.

k) L. Angl. et Ver. tit. VI. §. 6. Mater moriens, filio terram, mancipia, pecuniam dimittit filiae vero spolia colli,

peruenisse, nec nisi fundos Salicos vel auitos filiis reseruatos fuisse, admodum probabile videtur. l) Denique mulieres, vel virili familiarum stirpe ad certum vsque gradum extincta, m) vel deficientibus filiis, aut nepotibus ex filiis, n) eam quoque hereditatis partem nanciscebantur, cuius ab initio fuerant expertes. In caeteris legibus contra, Alamannorum quidem, o) Baiuuariorum, p) Longobardorum, q) et reliquarum gentium,

i. e. murenas, nascas, monilia, inares, vestes, armillas vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuisse.

l) Id enim non modo nomina terrarum produat Salicarum aut auiatarum, quae speciem modo praediorum indicant, sed Marculfi quoque formula XII in libro II. hoc satis demonstrat, vbi terra paterna, s. alode, cuius portionem filiae non acquirant, opponitur comparato, s. praediis acquisitis, mancipiis et praesidio, quae cum filiis aequalance diuidebant. v. Chr. H. Breuning *dis de filia herede contra iura Germ. ant. Lips.* 1762. p. 11. Ab hac nostra opinione dissentit, sine argumentis putarim satis idoneis D. I. C. Maierus in libro, cui nomen: *Germaniens Urverfassung.* Hamb. 1798. p. 110. — Inter Anglos Verinosque, si verba legis allatae tantum obiter adspexeris videntur quidem mulieres omnis hereditatis immobilis expertes, sed aliud mihi suadet §. 6. eiusd. tit. VI. *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat etc. atque §. 7. Si nec filium nec filiam habuerit, sororem vero habu-*

erit, sorori pecuniam et mancipia, proximo vero paterni generis terram relinquat, qua quidem §. nisi de casu rarissimo agatur, vbi gente mascula omni extincta terra ad feminam peruenisset, id satis probabile fit, quod filiae fundorum etiam partem a parentibus susceperint.

m) L. Angl. et Ver. tit. VI. §. 8. *Vsque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sine de patris sine matris parte in hereditatem succedat et tunc demum hereditas ad fusum a lancea transeat.* Lex Ripuar. l. 1. *Sed dum virilis sexus exierit etc.* De lege Sal. v. I. G. Eccardum in comment. ad h. l. ap. Canz. II. p. 106.

n) L. Sax. l. c.

o) Lex Alamann. tit. LVII. tit. XCII.

p) L. Baiuuar. tit. XIV. Cap. IX.

q) L. Longobard. lib. II. tit. XIV. §. 15. 19. 20. L. Burgund. tit. XIV. §. 1.

quarum integra respublica bellicosa fuerat et militaris, quaeque contemserant olim atque neglexerant agriculturam, nusquam mulieres hereditatibus destitutas legere memini, immo pluribus argumentis probari posset, easdem defunctorum bona aequa lance cum fratribus et agnatis esse partitas.

Prima autem et proxima causa, propter quam inter illas gentes mulieres ab hereditatibus prohiberentur, videtur in eo posita fuisse, quod apud eas agnatis singularum familiarum aliquod condominium competeret in praediis, siue omnibus, siue nonnullis tantum, iisque vel eminentioribus et maioris pretii habitis, vel ab eadem familia diu possessis. Cuius quidem instituti virtute licet feminae quoque victum et alimenta ex praediis communibus perciperent, dum in aedibus parentum vel tutorum morarentur: tamen ne matrimoniis et hereditatibus earum fundi familiis eriperentur, ipsae a possessione eorum arcebantur. Filii igitur vel agnati proximi praedia post mortem eius, qui ea adhuc possederat, sibi vindicabant, non quidem hereditatis titulo, sed iure domini, per leges ipsis seruati; r) neque vnus

r) Forsan id Tac. quoque G. cap. 20. verbis innuere voluit: *Heredes ramen successoresque sui cuique liberi*, quae contra morem eius scriptoris, breuitatis amantissimi plerumque

synonymice posita esse creduntur. Nam eodem loco singulor. nomina heredum prodens. feminas autem silentio praetermittens, de iis successoribus locutus videtur, qui

tantum ea accipiebat, exclusis reliquis; sed quamuis vnus forte, defensoris et principis locum in ea gente iam suscepturus possessionem et administrationem haberet, s) nihilosecius tamen dominium reliquorum saluum et incolume seruabatur, r) donec, diuisione rerum communium facta vel sublatis agnationis iuribus, condominium quoque iura exspirarent. u) Res vero caeterae, cum ad eas condominium totius familiae minus spectaret, sed eius potius esse crederentur, qui easdem comparatas sibi possideret, hereditatis iure inter natas natosque diuidebantur ipsique earum possessores de iis pro lubitu disponere poterant. v) Hinc etiam factum esse videtur, vt aliquando ii modo, qui mobilia bona accepissent, ad soluenda defuncti debita obligarentur, praediorum vero possessores, quia domini magis, quam heredes videbantur, ab hac obligatione essent immunes. w)

post mortem possessoris praediorum administrationem et possessionem fundorum communium accipiebant, simul principis et capitis familiarum locum occupaturi.

s) L. Angl. et Ver. l. c. §. 5.

r) Inde neque successionis aliquem ordinem ratione praediorum legibus Francorum definitum, sed hoc modo statutum reperimus, vt solus *virilis sexus ea haberet* v. L. Sal. et Rip. ll. ll.

u) Lex Sal. tit. LXIII.

v) Quos antiquos mores apud Sa-

xones seruatos videmus in Spec. Saxon. lib. I. Art. 52. Hoc idem etiam legibus Angl. et Verinor. tit. XIII. concessum esse puto, verbis: *Libero homini liceat hereditatem suam, cui voluerit tradere*, vbi hereditatis nomine potius mobilia bona, quam praedia contineri puto. Nam alias haec lex vix conciliari poterit cum titulo VI. quo tam diligenter agnatis praedia reseruata videmus.

w) v. Fried. Chrp. Ionath. Fischer *Vers. über die Gesch. d. reutschen Erb-*

Sed de hoc agnatorum condominio cum satis iam ab aliis actum sit, non esse arbitror, quod plura addamus. *) Restat vero, quod grauissimum est nostrum, quae laborem inprimis vocat, ut indagare conemur, ob quas tandem causas hoc agnatorum condominium legibus constitutum et a liberis gentibus tanta diligentia seruatum, a caeteris vero neglectum et parui deputatum sit. Eas autem ex vltimis antiquitatis temporibus repetendas reor, quibus rerum publicarum et militarium ea ratio inter Germanos obtinuit, quam ex Taciti Caesarisque commentariis supra descripsimus. Liberae enim nationes, quae fixis sedibus utebantur et pace magis, quam sempiternis bellis delectabantur, praeter comitatum cohortes, quae sponte ducis alicuius signa sequebantur, nullos neque duces, neque milites perpetuos habebant, sed, ubi necessitas exigeret, omnes viri ingenue nati, qui armis essent idonei, lares et focos vitamque et libertatem defendebant, neque stipendiis

folge, tom. I. p. 68 et 288. Hoc aliquo modo confirmari videtur iis, quae lege Ripuar. tit. LXVII. §. 1. de soluendis defuncti debitis statuta deprehendimus, nimirum, ut aut is, qui vel minimam hereditatis partem perceperit, aut is, cui *weregildus* eius, si interfectus fuisset, legitime obueniebat, satisfaceret creditoribus. Quod, cum praediorum quoque successores comprehendat, ea

lege ius nouum et singulare introductum videtur, propterea necessarium, quia communi iure praediorum possessores a debitis soluendis immunes erant.

*) Cfr. Fischer libro cit. Moeser *Osnabr. Gesch.* tom. I. Sect. I. §. 18. p. 29. Maier *German. Urverfassung* p. 125. fs. J. C. Gebaueri vestigia iuris Germ. antiqu. Diss. VII. p. 230.

G

conducti neque commeatibus sustentati. Sibi quisque enim victum et arma caeterosque militiae sumtus parare debebat, siue ea ex suis ipsius facultatibus caperet, siue pater et princeps familiae suppeditaret. Igitur cum hoc inprimis conditoribus ciuitatum curae esse deberet, vt ne patribus singulisue militibus deesset, quo se suosque in acie et in castris sustentarent, vix commodius excogitare potuerunt praesidium, quam hoc, vt masculae familiarum stirpi seruare studerent praedia, certas atque perennes opes semper praebitura. Quod quo melius peragerent, dum viri ex ea familia nati viverent, feminas a possessione praediorum arcebant, hoc tamen ipsis largientes, vt innuptae ex praediis gentilitiis alimenta acciperent^{γ)} et caeteram substantiam hereditatis iure vna cum viris obtinerent: tandem vero, quia virili prole extincta nihil amplius erat, quod feminae a fundis possidendis prohiberentur, omnis hereditas *ad fusum a lancea transiret*. Contra vero bellicosae gentibus longe diuersi mores erant. Inter eos enim priuati agri nemo quidquam habuit, sed publicus ager quotannis a magistratibus inter ciues distributus est, itaque singulis ciuibus neque vllum fuit dominium, neque successio in praediis. Milites autem ad bellum pro-

γ) Gebauer l. c. p. 234.

fecti a caeteris alebantur, qui domi tunc remanserant, nec singuli sibi, dum militarent, commeatum parare debebant. Quibus ex antiquissimis moribus cum iura populorum vtrorumque essent efformata, vti liberae gentes condominia familiarum diligenter seruauerunt, ita bellicosi populi, consuetudinum antiquarum, vt Germani, tenacissimi, ne tunc quidem, cum priuata dominia introduxerant, noua successionum iura constituenda esse putarunt, aut, siquod esset condominium agnatorum, negligentius tamen custodierunt. z)

Forsan autem alia quoque ratio liberis illis populis persuasit, vt familiarum opes viresque, mulieribus a successione prohibitis, firmare atque conseruare studeant, rerum puta publicarum forma; quae cum olim ita comparata esset, vt nulli duces aut magistratus imperio muniti ciuibz praeesent nec publicam securitatem armata manu sustinerent, legumlatorum erat curare, vt domi singulae familiae semet ipsae defenderent et patresfamilias domesticos potestate sua comprehensos tuerentur, alerent et a delictis cohiberent. Quare

z) *Lege Alamannor tit. LXXXIV.* scilicet aliquod condominium apparere videtur, integris familiis in praediis competens: *Si qua contentio orta fuerit inter duas genealogias de termino terrae eorum etc.* Et inter Baiuarios etiam quisque cum

filiis suis hereditatem diuidere debebat, antequam Ecclesiae praedia posset donare. *Lex Bai. tit. I. cap. 1.* Cfr. de hac successionis ratione I. G. Eccardum ad l. Sal. ant. tit. 62. et C. G. Gaertnerum ad leg. Sax. tit. 7. in Canz. leg. Barb. tom. II. et III.

maxime erat cauendum, ne ciues exhaustis familiarum opibus facile opprimerentur paucique locupletiores caeteros opibus et auctoritate nimis superarent, neque turba hominum egenorum ciuitati molesta esset atque tumultus moueret, quos difficile esset reprimere. Nihil autem erat, quo melius certiusque huic malo posset occurri, quam dominium praediorum cuiusuis familiae agnatis commune seruandum, vnde numquam non vires et auctoritatem in ciuitate necessarias sustinerent. Praeterea, quia is, qui praedia possidebat, praecipuum locum in ciuitatibus illis obtinebat, non poterat non iniquum videri, si immunis a publicis oneribus non vna cum caeteris ciuibus rempublicam aduersus ingruentes hostes defenderet, aliis contra obtruderetur onus illum ipsum defendendi atque tuendi. Feminae igitur cum militiae faciendae haud aequae pares essent atque viri sed perpetua tutela atque defensione egerent, forte hanc vnam ob causam iure meritoque praediorum possessione excluderentur.

At vero mutatis vel obsoletis illis rationibus ipsa quoque successionum et condomini iura nonnihil turbabantur. Etenim iudiciis institutis et imperio magistratibus dato, delicta ciuibus aut domesticis eorum illata, prohibitionibus priuatis, ab illis coërcerentur: neque amplius milites omnes semet ipsos instruere

et alere oportebat, sed destituti opibus ad id necessariis socios accipiebant alios ciues aequae pauperes, qui simul omnes militiae sumtus ferrent. ^{a)} Accedebat vero etiam christianae religionis et principum auctoritas admodum amplificata, qua cum paullatim effectum esset, ut alodia familiarum facilius, quam olim, diuiderentur ac ad extraneos, ecclesias praesertim, reges proceresque abalienata possent transmitti, ^{b)} prisci mores non potuere non iniqui videri ac sensim sensimque prorsus in desuetudinem venire; ^{c)} indeque non nisi in iis gentibus familiisque, quarum maxime intererat, nominis splendorem retineri et augeri, principum puta atque nobilium, seruabantur. ^{d)}

§. 4.

De alienationibus praediorum.

Neque silentio hoc loco praetermittendae videntur legum antiquarum sanctiones, quibus praediorum alienationibus certus modus et ordo praefinitus est, inpri-

^{a)} v. Difs. Exercit. I. p. 29. Cui addas Constitutionem Ludou. II. apud Baluz. tom. II. p. 357.

^{b)} v. Lex Saxon. tit. XV et XVII. ^{c)} Marculfi form. lib. II. form. 12.

^{d)} Diuturna, sed impii inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non ha-

beant. Sed ego perpendens hanc iniquitatem, sicut mihi a Deo aequaliter donati estis filii, ita et a me sitis aequaliter diligendi, et de res meas post meum discessum aequaliter gratuletis etc.

^{d)} Ant. Dad. Alteserra de Ducibus et Comitibus prouinc. Galliae. Tolosae. 1643. lib. III. cap. 16. p. 264.

mis eae, quibus, vt illae publice et iudicum auctoritate peragerentur, statutum legimus. Nam cum eo tempore, quo leges istae conderentur, nullus aut exiguus vsus esset onerum atque tributorum fundis praediisque impositorum, quorum quidem in securitatem plerumque publicas praediorum alienationes institutas esse dicunt; neque id vt in creditorum forte vtilitatem praeciperetur hypothecae in praediis constitutae facere possent, quia peregrinam originem produnt, ^{a)} ac longe serius demum in foris Germaniae moribus receptae sunt: Vix vlla superest causa, cur id sancitum esse nobis persuadeamus, quam agnatorum condominium atque militiae leges, quibus modo hoc etiam factum esse vidimus, vt mulieres ab hereditatibus fundorum arcerentur. Primum enim ipsa res probat ad seruandum hocce condo-

a) Semel tantum hypothecarum nomen in legibus Francorum legisse memini, sed iis demum seriori aevo latis atque sic omnino, vt ex peregrinis iuribus hypothecas receptas esse, statim appareat; scilicet est in Capitul. lib. II. cap. 29. vbi Ludouicus Imp., decretum Siluanecten- sis concilii confirmaturus, ita inquit: *Nulla s. b. Romana ditione constituta Ecclesia vel xenodochium — contra haec agere praesumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, siue domum, siue agrum, siue hortum, siue rusticum mancipium, vel*

panes ciuiles, neque creditoribus specialis hypothecae titulo obligare. Alienationis autem verbum contineat venditionem, donationem, permutationem et emphyteuseos perpetuum contractum. Sed omnes omnino sacerdotes ab huiusmodi alienatione se abstineant poenas timentes, quas Leonina constitutio minatur etc. Quae verba continentur etiam cap. 5. X. De rebus Ecclesiae alienandis vel non. Atque pro parte ex ipsa Leonis et Anthemii Impp. constitutione desumpta videntur; cfr. L. 14. Cod. de SS. Ecclesiis.

minium et opes militum continendas Germanis nihil, quam hoc, diligentius cauendum fuisse, ne singulis ciuibus liceret pro libitu praedia vendere et alienare, quia alias omnia iura hunc in finem instituta vi et effectum caruissent. Tum verò etiam aliud offertur nobis argumentum, quo paene conuincimur, vtrasque leges, tam de alienationibus, quam de hereditatibus praediorum latas, ex eodem fonte promanasse. Scilicet apparet, in iuribus Germanorum antiquis, circa alienationes praediorum vsitatis, idem illud discrimen inter leges gentium bellicosarum et reliquarum, quae liberis rebus publicis vterentur, obtinuisse, quod antea in successionebus feminarum obseruauimus; solae igitur liberae gentes legibus sancierant, ne ciues praedia pro arbitrio possent abalienare, reliqui vero populi parum eam rem curabant. Qua quidem de causa non dubitauerim, quin legum illarum eandem statuam rationem, quam in successionebus fuisse monuimus, condominium agnatorum nimirum maxime militiae causa institutum et seruatum.

Antiquis autem temporibus apud liberas gentes omnes omnino praediorum alienationes, quae in praediciu agnatorum vergere possent, prohibitas fuisse putauerim tam quae inter viuos, quam quae mortis causa fierent, adeoque, cum omnes agnati condomini

H

essent praediorum, neminem, nisi consentientibus omnibus, quorum referret, praedium, velut rem alienam, in extraneum aliquem hominem transferre potuisse. Atque hoc idem procul dubio erat in causa, cur auctore Tacito ^{b)}, morum Germanicorum optimo interprete, nulla apud Germanos testamenta condi solerent, sed sua quisque bona legitimis et naturalibus heredibus relinqueret. At vero labentibus annis huius condominiumi sanctitas vehementer diminuta est, id quod maxime principum atque clericorum studiis se suasque res augendi et amplificandi tribuendum esse credo. Nam mutatis rerumpublicarum rationibus, reges, optimates atque clerici nihil non agebant, ut omnia tollerent, quae suae auctoritati suisque opibus augendis et effe- rendis obessent. Igitur ut praedia, quae, si dominium eorum pluribus ciuibz simul indiuisum compete- bat, non sine labore poterant acquirere, facilius in suam po- testatem redigerent, condominiumi quoque iura ita mutasse videntur, ut illud non omnibus agnatis porro serua- retur, sed solis permitteretur parentibus liberisque, qui proprio ac perpetuo iure bona auita susciperent nec inuiti iisdem destitui possent: ^{c)} itaque si cuiquam

^{b)} Tac. G. c. 20. *Heredes tamen successoresque sui cuique liberi: et nul- lum testamentum.*

^{c)} In legibus enim, quae liberta- tem alienandi praedia restringunt, tantum filiorum aut liberorum fit mentio. v. infra notam N.

liberi deessent, is liberius agros fundosque suos vendere aliisque donare poterat, licet remotiores eius agnati viuerent. Neque tamen simul vbique locorum antiqui mores prorsus euertebantur, sed quæ gentes libertatem antiquam diutius incolumem obtinuerant familiarumque societatibus magis, quam reliquæ nationes fauebant, inter eas etiam facultas prædia pro lubitu alienandi vario modo restringebatur eumque in finem plures, quas in illis vendendis tradendisque obseruarent, sollemnitates præscribebantur, ac interdum ipsis remotioribus agnatis nonnulla ex pristinis iuribus reseruabantur.

Quæ vicissitudines vt magis appareant, iam singulas leges huc spectantes breuiter enarrabimus. Condominii enim paullatim turbati tandemque euersi causas luculentissime demonstrant Saxonum leges. Hic populus quidem condominium agnatorum in prædiis gentilitiis tam studiose retinuerat, vt ne deuicto quidem Carolus illud eripere auderet. Sed, quamuis regiam dignitatem et clericorum potentiam efferre et priscos mores paullatim antiquare maxime cuperet ideoque Saxonibus, res suas regibus et ecclesiis offerre atque tradere permetteret: tamen seuerè prohibuit, quo minus præterea quisquam in præiudicium agnatorum prædia hereditaria ad extraneos transferret, seu, vt legum verbis vtat,

heredes suos exheredes faceret. *d)* Siquis igitur illorum, necessitate coactus, bona alienare vellet, ea primum agnato proximo, deinde, siquem haberet, patrono nobili offerre debebat, ac postea demum liberius extraneis hominibus ea permittere poterat. *e)* Quod vero fundorum alienationes publice seu coram iudicibus peragenda erant, id, quamvis Francorum institutum esset, apud Saxones olim haud receptum videtur, *f)* idque forsán inde factum est, quod cum apud hos introductum esset, ut praedia priusquam vendi possent, agnatis offerrentur, satis eorum utilitati prospectum esse credebatur.

Inter Francos vero quoties in extraneum aliquis fundos vellet alienare, leges consuetudinesque non exige-

d) Lex Sax. tit. XV. §. 2. Nulli liceat traditionem hereditatis suae facere, praeter ad Ecclesiam vel regi, ut haeredem suum exheredem faciat. §. 3. Nisi forte famis necessitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, sustentetur, mancipia liceat illi dare ac vendere. Cf. Gaertnerum ad h. l. multa docte disserentem.

e) Lex Sax. tit. XVII. Liber homo, qui sub tutela nobilis cuiuslibet erat, qui iam in exilium missus est, si haereditatem suam necessitate coactus vendere voluerit, offerat eam primo proximo suo; si ille emere noluerit, offerat tutori suo vel ei, qui tunc a Rege

super ipsas res constitutus est. Si nec ille voluerit, vendet eam cuicunque voluerit.

f) Lex Saxonum enim de hac re silet, nec in Speculo quidem Saxónico semper ac ubique requiritur, ut alienationes in iudiciis fierent; v. lib. I. art. 54. (Cod. Lips. ap. Gaertner.) *Ane des richteres viloup muz ein mann wol sin eigen vergeben in erben gelob daz erz behalde eine halbe haue vnd eine vurt, da man einen wagen vffe gewende muge. dar ab sal he deme richtere sinos rechtes phlegen. atque lib. I. art. 52.*

bant quidem, vt agnatis offerret, sed hoc, vt vel in iudicio, vel coram rege, testibus aduocatis variisque ritibus adhibitis dominium in accipientem transferret, et ipsos quasi traderet; g) quae solennitates non nisi ab iis omitti poterant, qui in itinere, vel in agmine, aut castris bona sua donarent, vel venderent, vbi soli testes adhibiti sufficebant; h) olim vero etiam tunc, vt videtur, siquis propinquis praedia cedebat, i) quam-

g) Lex Sal. ant. tit. 49. et Lex Sal. reform. tit. 48. Lex Ripuar. tit. 59. §. 1 et 7. Cap. Car. M. de leg. Ripuar. ap. Canz. II. 320. c. 7. Formulam venditionis rerum immobilium publicae habes apud Canz. tom. III. p. 435.

h) Capitul. lib. IV. c. 19. *Si quis res suas pro salute animae suae vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo suo vel cuilibet alteri tradere voluerit et eo tempore intra ipsum comitatum fuerit, in quo res illae sunt, legitimam traditionem facere studeat. Quod si eodem tempore, quo illas tradere vult extra eundem comitatum fuerit, id est siue in exercitu, siue in palatio, siue in alio quolibet loco, adhibeat sibi vel de suis pagensibus vel de aliis, qui eadem lege viuunt, quia ipse viuunt, testes idoneos, vel si illos habere non potuerit tunc de aliis, quales ibi meliores inueniri possent et coram eis rerum suarum traditionem faciat: et fideiussores vestiturae donec ei, qui illam traditionem accipit, vt vestituram faciat etc. Ex Capit. lib. I. c. 142. apparere quidem vide-*

tur aliquando solennitates alienationum etiam tunc remissas esse, si quis Ecclesiae res suas daret; Imperator enim: *Qui res suas, inquit, pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis: et quae in hunc factae sunt traditiones, de quibus nulla est quaestio, stabiles permaneant; tamen cum haec caeteris legibus repugnant, tum vero etiam quia verba coram testibus legitimis ad constitutionem legis Salicae cit. spectare videntur, magis est, vt etiam hac lege solennitates, omnibus alienationibus praescriptas, requiri credamus.*

i) Constat ex Leg. Sal. tit. 61. de chrenechruda s. chren-cende, qua consuetudine erat introductum, vt qui compositionem debitam solvere nequiret, praedium suum propinquis cederet; nec tamen iudicialiter haec cessio fiebat, sed priuatum tantum. Et recte quidem. Nam ratio legis, ne agnati bonis haereditariis destituerentur et egestati manciparentur, hac in alienatione cessabat.

quam legibus paullo recentioribus etiam in hac alienatione sollennitates requirebantur. *k)*

Atque hos mores diutissime seruauerunt Franci, licet ob alias forte rationes eos sequenti tempore retinuerint, quam quibus initio ducti instituerant. Nam cum procures regni et magistratus militari atque iudiciaria potestate ipsis commissa tantopere coepissent abuti, ut homines pro lubitu opprimerent et expoliarent, ita quidem, ut saepe etiam vi atque minis adhibitis subditos ad donanda aut vendenda praedia cogerent *l)*: Imperatores vix praesentius harum iniuriarum remedium reperiabant, quam ut mores antiquos reuocarent nouaque auctoritate firmarent et stabilirent. *m)* Caeterum inter Francos seriori saltem aevo condominium praediorum, remotioribus agnatis ereptum, parentibus liberisque tantum seruatum esse videtur. Inde

k) Capit. Lib. IV. c. 19. cit.

l) Capit. Lib. I. c. 115. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. etc. Capit. Lib. VII. cap. 47. Placuit, ut si quis potentum quemlibet expoliauerit et admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur. ap. Baluz. tom. I. Capit. p. 726 et 1230. Capit. III. Caroli M. de ao. 811. c. 3. ibid. p. 485. Capit. III. de ao. 805. c. 17.

m) Capit. lib. II. c. 32. Propter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Iudices nullusque omnino sub mala occasione vel malo ingenio res pauperum, vel minus potentum nec emere nec vi tollere audeat. Sed quisquis ex iis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus et cum ratione hoc faciat. Vbiunque autem aliter inuentum fuerit factum, hoc omnino emendetur per iussionem nostram.

qui filios habebat, ad extraneos neque per pacta, neque per testamenta praedia alienare poterat, ⁿ⁾ nisi quae diuisione bonorum facta sibi seruasset; adeoque si quis ex pluribus heredibus, bona paterna adhuc indiuisa possidentibus, res suas ecclesiae donasset, haec ipsa condominium cum caeteris heredibus continuabat,

ⁿ⁾ Lex Ripuar. tit. 48. Si quis procreationem filiorum vel ~~fratrum~~ non habuerit, omnem facultatem suam in praesentia Regis, siue vir mulieri vel mulier viro seu cuiusque libet de proximis vel extraneis adoptare in hereditatem vel adfatimi per scripturarum seriem, seu per traditionem et testibus adhibitis secundum legem Ripuariam licentiam habeat. Marc. form. lib. I. No. XII. — Igitur venientes illi et illa ibi in palatio nostro, pro eo quod filiorum procreationem inter se minime habere videntur, omnes res eorum inter se per manu nostra visi sunt condonasse etc. Capit. Caroli M. de lege Rip. de ao. 803. c. VII. ap. Canz. tom. II. p. 320. Qui filios non habuerit et alium quemlibet heredem facere sibi voluerit, coram rege vel Comite et Scabiniis vel missis dominicis, qui tunc ad iustitias faciendas in provincia fuerint ordinati traditionem faciat. Capit. VI. c. 207. Dubium quidem mouere posset Capit. lib. V. c. 211. Statutum est, ut nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere praesumat, quorum liberi aut propinqui hac incon- sulta oblatione possint rerum propriarum exheredari. Quod si aliquis deinceps hoc facere remauerit, synodali sen-

sentia districte feriat, et res ad exheredatos redeant. atque Capit. lib. I. c. 83. iisdem verbis conscriptum, sed praeterquam, quod propinquorum nullibi alias mentionem factam meminimus, inprimis Capit. lib. IV. c. 19. nostram sententiam confirmat, quod quidem post verba supra laudata sic habet: Et postquam haec traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de praedictis rebus valeat facere reperitionem. Insuper et ipse per se fideiussionem faciat eiusdem vestiturae, ne herediti illa occasio remaneat hanc traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficiendi. Et si nondum res suas cum coheredibus suis diuisas habuit, non ei hoc sit impedimento; sed coheres eius si spore noluerit, aut per Comitem, aut per Missum eius distringatur, ut diuisionem cum illo faciat, ad quem defunctus hereditatem suam voluit peruenire. Etsi cuiuslibet Ecclesiae eam tradere rogauit, coheres eius eam legem cum illa Ecclesia de praedicta hereditate habeat, quam cum alio coherede suo habere debebat. Et hoc obseruetur erga patrem et filium et nepotem usque ad annos legitimos et postea ipsae res ad immunitatem ipsius ecclesiae redeant.

donec legitimo tempore praeterlapso solitarium dominium acquireret. o)

Quaeuis autem praediorum alienatio non rite facta, praediis scilicet agnatis antea non oblati, vel ipsa clandestinum facta ac in detrimentum eorum atque reipublicae vergente, procul dubio nulla et inualida habebatur et ab agnatis poterat rescindi. Hinc retractum illum gentilitium, moribus Germanorum celebratum originem duxisse, mihi, ut cui maxime, est persuasum. Is enim, licet nullibi in legibus antiquis, quantum memini, disertis verbis commemoratur, tacite tamen alienationum prohibitionibus continetur, atque etiam in monumentis aliquantum recentioribus occurrit. p) Quin legimus Ludovicum P. Imperatorem aliquando promisisse, se res esse restitutum, quarum iniustis alienationibus legitimi heredes paterna maternaue hereditate priuati essent. q)

o) Capit. lib. IV. c. 19. modo laud.

p) De moribus Saxonum antiquis enim hoc testatur Specul. Sax. lib. I. art. 52. *Ane erben gelob vnd ane echt ding en muz nieman sin eigen noch sine lute gebn. — Gibt erz wider recht sunder erben gelob der erbe vnderwin- der ez sich mit vrteilen als ab her tot si. iene der daz gab. so erz nicht gebn mochte.*

q) Lib. II. Capit. c. 31. Propter

istius itaque pacis concordiam conser- vandam, placuit nobis de orphanis et pauperibus, qui debite vel indebite dicuntur amisisse hereditatem paterni vel materni iuris ad se legibus pertinentem, si alicubi inueniri fuerint, quos patres vel matres propter traditiones istorum exheredes fecerunt, aliorum scilicet suasionibus aut petitionibus vel aliquo malo ingenio, omnino volumus atque decre- vimus emendari, quantum ad nos vel ad nostram pertinet potestatem, iuxta

Caeteri denique populi Germanici alias rerum siue publicarum siue militarium rationes secuti, vti omne agnatorum condominium, ita etiam alienationes praediorum parum curabant easque fere soli singulorum hominum arbitrio permittebant. ^{r)} Quare neque hoc legibus eorum praescriptum videmus, vt agnatis prius a possessoribus offerrentur fundi, quam alienari possent; neque id moribus receptum erat, vt iudicum auctoritas in donationibus et venditionibus praediorum intercederet. Legibus Baiuuariorum id vnum in filiorum gratiam praeceptum erat, vt pater, antequam res suas ecclesiae donaret, easdem cum filiis diuideret, itaque non nisi suam praediorum et bonorum partem tradere posset. ^{s)}

voluntatem Dei et vestram sanctam admonitionem et considerationem; vt si forte extra officium nostrum alicubi inuentum fuerit admonere vestram clementiam audcamus vt emendetur. Huc spectat quoque caput proxime sequ. 32.

^{r)} Lex Longobard. lib. II. tit. XVIII. c. 2. et 4. Lex Burgund. tit. I. §. 1. — *Quia nihil de praescriptis patribus licentia, dominantium legi-*

bis fuerat constitutum, praesenti constitutione omnium vno voto et voluntate decreuimus, vt patri etiam antequam diuidat de communi facultate et de labore suo cuilibet donare liceat, absque terra sortis titulo adquisita, de qua prioris legis ordo seruabitur. Item §. seq. et additam. I. ad I. Burg. tit. XII. Edictum Theodorici cap. 147. Lex Alamannor. tit. I. §. 1.

^{s)} Leg. Baiuuar. tit. I. c. 1.

1872


Die erste Hälfte des Jahres 1872 war für die
Landwirtschaft in der Provinz Sachsen ein
sehr ungünstiges. Die Wintermonate waren
von Schnee und Frost eingenommen, so dass
die Felder nicht bestellt werden konnten.
Im Frühjahr wurde die Aussaat sehr spät
gemacht, und die Sommermonate waren
von Regen und Stürmen eingenommen, so
dass die Ernte sehr gering ausfiel.
Die zweite Hälfte des Jahres war ebenfalls
ungünstig, so dass die Ernte noch geringer
ausfiel. Die Provinz Sachsen ist daher
in der ersten Hälfte des Jahres 1872
mit einem erheblichen Verlust an Getreide
und anderen landwirtschaftlichen Produkten
bedacht. Die Regierung hat daher
verschiedene Maßnahmen ergriffen, um
den Schaden zu mindern. So ist eine
Ausfuhr von Getreide in andere Provinzen
erlaubt worden, und es sind auch
andere Vorkehrungen getroffen worden,
um den Schaden zu mindern.

ULB Halle
005 891 469

3



7718



1804, 6.8

DE
VI MILITIAE
VETERVM GERMANORVM
HERIBANNARIAE
IN IVRE GERMANICO PRIVATO CONSPICVA
EXERCITATIO SECVNDA

73

SCRIPTISIT
ET
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO SVMMIS
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
A. D. III. FEBRVAR. A. R. S. MDCCCL.
AD DISPVANDVM PROPOSVIT
STEPHANVS CAROLVS RICHTERVS
LIPSIENSIS
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE
IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.